MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81627-5

AUTHOR:

BRIEL, ALBERT

TITLE:

DE CALLISTRATO ET PHILONIDE

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1887

Master Negative #

93-81627-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Briel, Albert, 1863-
De Callistro et Philonode; sive, De actionibus Aristophaneis... Berolini, Weidmannos, 1887.
70 p. 22½ cm.

Thesis, Berlin.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE CALLISTRATO ET PHILONIDE
SIVE
DE ACTIONIBUS ARISTOPHANEIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XIX. M. FEBRUARII A. MDCCCLXXXVII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALBERTUS BRIEL
BEROLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
R. KAISER, DR. DES.
H. KÖNIGSBECK, CAND. PHIL.
C. BÜRGER, CAND. PHIL.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
1887.

Typis expressit G. Bernstein.

ADOLFO KIRCHHOFF

SACRVM.

„Das Verhältnis des Aristophanes zu Kallistratos und Philonides ist so oft Gegenstand der Untersuchung gewesen, wie nur irgend ein Problem, zu dessen wirklicher Lösung unsere Kenntnis nicht ausreicht. Wer sich der Lücke in unserer Überlieferung bewusst ist, wird keine Versuchung fühlen, das ganze Material noch einmal hinzubreiten und ein neues Mosaik daraus herzustellen."

Ab hoc exordio Fr. Leo disputatiunculam quandam instituit in Mus. Rhenan. vol. 33. pag. 400. Verum quidem est de Callistrato et Philonide saepe multumque viros doctos disputavisse atque adeo tractavisse hanc quaestionem in diversas partes, ut paene non sit mirandum, quod alii sterilissimam ac iniucundissimam eam esse censuerunt, alii, veluti Leo, omnino diiudicari posse prorsus negaverunt. Ego vero nec his nec illis assentiri queo, cum eis, qui magis magisque huic rei operam dent eamque penitus cognoscere studeant, in dies eam iucundiorem fieri necesse sit — mihi quidem id contigit — et cum quaestionem etiam disceptari posse mihi persuaserim, dummodo rationem scaenicam perspectam habeas artemque comicam vere scias interpretari. Quapropter posthabita Leonis monitione omnem huius quaestionis materiam diligenter congessi, quaestionem institui, quantum potui, accurate, caute quidem, sed satis fidenter iudicium feci.

Occurrunt Callistrati et Philonidis nomina in reliquiis didascaliarum, quae argumentis fabularum subiunctae erant, in scholiis Aristophaneis, in libellis de comoedia et de vita Aristophanis scriptis, apud alios grammaticos passim. Atque horum virorum opera Aristophanem in docendis suis comoediis usum esse omnes consentiunt, quomodo id factum sit dissentiunt. Fuerunt enim antiquis temporibus, qui utrumque

actorem primarum partium fuisse dicerent, cuius opinionis testis est Vitae scriptor, apud quem haec verba legimus: *Ὑποκριταὶ Ἀριστοφάνους Καλλίστρατος καὶ Φιλωνίδης, δι᾽ ὧν ἐδίδασκε τὰ δράματα ἑαυτοῦ κτλ.*, nec dissimilis exstat sententia apud schol. Br. ad Nub. vs. 531: *παῖς δ᾽ ἑτέρα: δηλονότι ὁ Φιλωνίδης καὶ ὁ Καλλίστρατος, οἱ ὕστερον γενόμενοι ὑποκριταὶ τοῦ Ἀριστοφάνους.*

Verum quidem est nationem quandam, ut ita dicam, histrionum iam quinto a. Chr. n. saeculo Athenis floruisse, et constat exemplis poetas in fabulis suis agendis certorum actorum opera maxime et paene constanter usos esse, quare Aristophanem idem fecisse veri non est dissimile. Nec tamen Callistratum nec Philonidem sollemnem Aristophanis actorem fuisse facile est ad demonstrandum. At nihilominus etiam nostra aetate non desunt, qui in hanc sententiam discedant et Callistratum atque Philonidem histriones fuisse omnibus viribus contendant, cuius sententiae patronus gravissimus exstitit Theodorus Kock in disputatione De Philonide et Callistrato. Progr. gymn. Guben. 1855.

Persuasit sibi hoc vir doctus ea maxime caussa perductus, quod incredibile esse ei videbatur Aristophanem plerasque fabulas aliis condonasse. „Nimirum, ipse inquit, optimo iure Amipsias, Aristonymus, Sannyrio poetam irrisissent, si centies aliis gloriam victoriae tradidisset, ipse ter quaterve vicisse satis habuisset.“ Itaque suam sententiam aliis quoque probare conatus est, quod cum facere non posset nisi per vim, ratiocinationem debilissimis tantum adminiculis fulciri consentaneum est. Quae facillime possunt labefactari.

Putat enim Kockius Aristophanem, postquam Equites ipse primam suo nomine comoediam docuerit, semper ipsum comoedias in certamen commisisse; nam eas fabulas, quae ante Equites actae sunt, ab aliis doctas esse Aristophanes ipse luculentissime testatur. Quod ita esse minime aptum fuit opinioni Kockii, cum viam ingredi hac re coactus sit, quae plane improbanda est. Nam cum in didascaliis, in quibus Callistrati aut Philonidis nomina leguntur, et ante Equites et post semper eadem formula, quae est *διδάσκειν δρᾶμα διά τινος*, posita sit, vir doctus facere non potuit, quin grammaticos contenderet hac dictione in duplicem

sententiam usos esse, h. e. modo poetae vicarium modo primarum partium actorem hac formula promiscue significasse. Vicarios igitur Aristophanis indicatos esse hac formula, qui fuissent ante Equites; post hanc comoediam, ubicumque haec dictio legeretur, intelligendum esse primarum partium actorem.

Sed credamus amabo grammaticos sibi ipsos adeo non constitisse, ut summa usi libidine eandem dictionem ponerent et in primarum partium actore et in chori magistro denotando? Quod si verum esset, mirum esset vel maxime, neque vero ullo probabili argumento confirmari potest. Immo quod iam ipsi conicere debemus, certissimis constat documentis aliis verbis artem actoris, aliis negotium poetae, sive verus fuit sive suppositicius, significatum esse. Sunt autem haec documenta monumenta illa publice collocata, quae ante paucos annos cum in ipsa arce Atheniensi tum in clivo meridionali reperta sunt. Quae si inspexeris (C. I. A. II, 2, nr. 971 sqq.), intelliges verbo *διδάσκειν* tantum chori magistrum indicari: actor significatur apposito substantivo *ὑποκριτής* vel verbo *ὑπεκρίνετο*. Exempli gratia titulos nonnullos eosque, quantum id fieri potest, restitutos afferre liceat; veluti nr. 971:

fr. b. 3. *[τραγω]ιδῶν*
[– – ω]ν Παιανιε[ὺς ἐχορήγει]
5. *[Με]νεκράτης ἐδί[δασκεν]*
[ὑπ]οκριτὴς Μυνν[ίσκος].
. . .
fr. c. 1. *Μένανδρο[ς – –] ἐχορήγει*
Θεόφιλ[ο]ς ἐδίδασκεν
ὑπο[κριτ]ὴ[ς] Κλέανδρο[ς].

Bis igitur actorem voce *ὑποκριτής* significatum videmus, cum ad utrumque poetam positum sit verbum *ἐδίδασκεν.* Addo alterum exemplum, in quo legimus pro *ὑποκριτής* verbum *ὑπεκρίνετο* vel decurtatum *ὑπε*, nr. 972:

10. *[ἐπὶ Δι]οτίμου· Σιμύλος*
– σίᾳ, ὑπε(κρίνετο) Ἀριστόμαχος·
Διόδωρος δεύ(τερος) Νεκρῷ,
ὑπε(κρίνετο) Ἀριστόμαχος·
Διόδωρος τρί(τος) Μαινομένω[ι],
ὑπε(κρίνετο) Κηφίσιος.

Plura possum afferre, sed iam sufficiunt exempla satis superque. Atque etiam in Pacis didascalia verbum *ὑποκρίνεσθαι* de actore positum videmus; nam ibi forte fortuna haec servata sunt: *τὸ δὲ δρᾶμα ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος.* Hoc uno exemplo dilucide probatur et confirmatur etiam grammaticos Alexandrinos *ὑποκρίνεσθαι* et *διδάσκειν* bene distinxisse, neque mirum est, cum in didascaliis componendis secuti sint librum Aristotelis de actionibus scriptum; Aristoteli vero, quippe qui saeculo quarto floreret, sua ex ipsis monumentis tabulisque publicis haurire licitum erat.

Neque igitur ad suam libidinem grammatici Alexandrini modo hoc modo illo sensu formulas traditas posuerunt, sed ex alieno quodammodo pendentes arbitrio in suam quaque sententiam usi sunt, prout Aristoteles praescribebat, quem priscas et genuinas formulas in libro suo retinuisse nemo negabit. Itaque Kockii coniectura prorsus reicienda est.

At exstant illa veterum testimonia, quibus Kockiana sententia fulciri videtur et confirmari, praesertim cum schol. ad Nub. vs. 531 prodat postea utrumque Aristophanis actorem fuisse, quae et ipsa Kockii est opinio. Licet exstent atque obstent haec veterum testimonia, si quidem hoc nomine digna sunt, nos minime perturbamur. Nam primum maiorem fidem habemus didascaliis eisque locis, quos haustos esse e didascaliis liquet, cum profecti sint ad unum omnes ab Aristotele; neque vero legimus in talibus locis Callistratum aut Philonidem in fabulis Aristophaneis primas partes egisse, sed utrumque Aristophanis comoedias docere solitum esse. Tum vero illa testimonia eiusmodi sunt, ut nulla fide digna esse possint. Nam quod in Vita illa ipsa formula *διδάσκειν διά τινος* posita est, cognoscimus, quam non perspectam rem scriptor habuerit, neque ego quidem dubito, quin Byzantinorum nescio quis homuncio e didascaliis temere haec collegerit, cum illam formulam, quid sibi vellet plane ignarus, in hanc falsam sententiam acciperet. Non audaciae esse illum grammaticum hominem tam indoctum putare apparet ex eis, quae sequuntur: *διὰ μὲν Φιλωνίδου τὰ δημοτικά* (sc. *δράματα Ἀριστοφάνης ἐδίδασκεν*), *διὰ δὲ Καλλιστράτου τὰ ἰδιωτικά*, quae verba hominem levissimum arguunt et indoctissimum. Quapropter non iniuste Dindorfius videtur egisse, qui extremam

Vitae partem, in qua haec verba leguntur, inferiore loco poneret, praesertim cum non tam de vita Aristophanis quam de rebus omnibus et quibusdam aliis in ea agatur. Illa autem ad Nub. vs. 531 verba Graeculi esse per se patet, quam ob rem idem Dindorfius uncis ea seclusit, quae si plane eiecisset, non improbarem. Ceterum alterum horum commentum ab altero pendere veri mihi videtur simillimum esse.

Itaque neque Callistratus neque Philonides in numero histrionum fuit, velut Apollodorus, qui Pacem egit, certo fuit. Neque tamen hos viros nonnumquam partes quoque egisse praefracte nego, cum etiam illis temporibus poetae, velut Sophocles, ipsi interdum agere solerent: ipse hac licentia infra utar; munere histrionis perpetuo neuter functus est. Itaque reiecta est opinio Kockiana, repudiata sunt Graeculorum testimonia vel potius commenta.

Et quotusquisque hodie est, qui sibi nondum persuaserit Aristophanem etiam post Equitum commissionem complures vel etiam plurimas fabulas non ipsum in scaenam induxisse, sed aliis dedisse, qui chorum ab archonte peterent, histriones et choreutas instituerent, comoediam suo nomine in certamen committerent, h. e. fabulam docerent, quasi ipsi composuissent? Susceperunt autem hoc negotium Callistratus et Philonides. Sed quinam fuere, cum actores eos fuisse negatum sit? Profecto ei fuerunt, qui esse debebant, cum alius poetae comoedias proprio nomine docerent, nempe poetae comici. Philonidem poetam fuisse constat et testimonio Suidae, qui etiam titulos nonnullos comoediarum affert[1]), et fabularum reliquiis ab Athenaeo et Polluce servatis; de Callistrato nihil certi ad nos permansit. Neque tamen dubito, quin Callistratus quoque poeta comicus fuerit, cum Aristophanem poetae rerum scaenicarum perito fabulas cum alias tum primam maxime dare necesse esset, si quidem aliquid sperare eius intererat.

Quin etiam persuasum mihi est loco quodam Aristophaneo,

---

[1]) *Φιλωνίδης, Ἀθηναῖος, κωμικὸς ἀρχαῖος· πρότερον δὲ ἦν γναφεύς.* (*ὃς πρότερον ἦν γραφεύς* Eudocia. pag. 428). *τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἦν Κόθορνοι, Ἀπήνη, Φιλέταιρος.*

dum recte eum interpretemur, veram esse hanc sententiam probari, dico Vesp. vs. 1017 sqq.:

ἀδικεῖσθαι γάρ φησιν πρότερος πόλλ' αὐτοὺς εὖ πεποιηκώς,
τὰ μὲν οὐ φανερῶς, ἀλλ' ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς,
μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι·
μετὰ τοῦτο δὲ καὶ φανερῶς ἤδη κινδυνεύων καθ' ἑαυτόν,
οὐκ ἀλλοτρίων, ἀλλ' οἰκείων Μουσῶν στόμαθ' ἡνιοχήσας.

Kockius et Leo ll. coll. Aristophanem hoc loco tales conditiones in animo habuisse existimant, qualis in Equitum fabula componenda cum Eupoli ei fuit. Quod ne cogitemus iam ipsius loci vi ac ratione prohibemur. Si verba diligenter et sincere exploramus, dubitare mea sententia non possumus, quin Aristophanes hoc loco de prioribus suis fabulis iocose fabuletur. Vituperat enim spectatores, quod iniuriam sibi intulerint, quamquam multa eis antea bene fecisset. Haec autem iniuria, quae poetae animo obversatur, est clades Nubium (cf. vs. 1044 sq.); itaque vs. 1017 apparet loqui Aristophanem de fabulis ante Nubes actis, h. e. de tribus illis Callistrato traditis et de Equitum comoedia et si quas alias commisit, de his quoque. Illae autem imagines, quibus Euryclem ventriloquum se imitatum esse et in alienos ventres irrepsisse facete narrat, tam aptae sunt illi cum Callistrato conditioni, ut vix ad aliam bene possint referri. Nam alter Eurycles, verus ventriloquus, poeta callidus initio revera fuerat, cum ipse loqueretur, h. e. cum versus ab ipso facti recitarentur, populus Callistratum, h. e. eius versus, audire sibi videretur. Tum vero *φανερῶς καθ' ἑαυτὸν* periculum subiit, cum suas ipsius, non alienas Musas regeret. Quae verba maxime ad Equites pertinere probatur versibus insequentibus:

ἀρθεὶς δέ μέγας καὶ τιμηθεὶς ὡς οὐδεὶς πώποτ' ἐν ὑμῖν,
οὐκ ἐκτελέσαι φησὶν ἐπαρθεὶς οὐδ' ὀγκῶσαι τὸ φρόνημα κτλ.

De Eupoli hoc loco minime licet cogitare. Attamen plerique viri docti, quamquam in universum in nostram sententiam discedunt, vs. 1022 poetam allusisse arbitrantur ad Eupolin, quippe qui in Equitum fabula componenda Aristophanem a se adiutum esse gloriatus esset. Mihi quidem numquam id visum est, immo ad eandem conditionem, cum Callistrato scilicet, semper haec quoque verba retuli vs. 1022:

οὐκ ἀλλοτρίων, ἀλλ' οἰκείων Μουσῶν στόμαθ' ἡνιοχήσας.

Itaque gaudebam, cum hanc sententiam etiam ab alio prolatam viderem. Petersenus enim in Fleckeis. Ann. 85. pag. 652 rem luculenter exposuit his verbis, quae huc afferre iuvat: „Das wäre ein auffallender Gedankensprung (a Callistrato scilicet ad Eupolin), indem ganz unerwartet ein neues Moment hinzuträte, ohne auch nur durch ein *οὐδέ* angeknüpft zu sein. Natürlicher würde noch einmal die Hervorhebung folgen, wie sein späteres Auftreten von dem früheren verschieden sei. Jene Worte sind aber auch nicht einmal so doppelsinnig, wie etwa die Übersetzung 'nicht fremde, sondern eigene Musen reden lassend' sein würde. Wohl könnte *ἀλλοτρίας Μούσας ἡνιοχεῖν* heifsen 'ein fremdes Stück aufführen'; aber der Zusatz *στόματα*, der in dem einfachen Gleichnis nicht aufgeht, nimmt den Musen das Treibende, das zwar einem andern dienstbar sein kann, aber denn doch die eigentlich dichterische Thätigkeit giebt oder bezeichnet. Er macht sie ganz äufserlich zum Organ des Dichters, statt dass sonst der Dichter das Organ der Musen war. Er führt ihnen den Mund, wie wir sagen 'jemandem die Hand führen', legt ihnen die Worte in den Mund. Früher, sagt also Aristophanes, hätte er fremden Musen, d. i. denen des Kallistratos, seine Worte geliehen.“ Ex animo viro docto assentior adeoque cum eo facio, ut verbis eius nihil addam. Concludit vero optime: „Da aber einem Chorlehrer die Musen garnicht zukommen, sondern nur dem Dichter, so galt Kallistratos als Dichter für Aristophanes.“

Itaque Callistratum quoque poetam fuisse ex hoc Vesparum loco consequens est, praesertim cum *ἑτέροισι ποιηταῖς* se succurrisse Aristophanes expressis verbis dicat. Atque etiam scholiastes recte hoc intellexit, cum ad vs. 1018 annotaret: *τὰ μὲν οὐ φανερῶς· οὐκ ἐκ τοῦ φανεροῦ, φησίν,*

ἐπικουρεῖ ὁ ποιητὴς τοῖς θεαταῖς ὑμῖν, ἀλλὰ δι' ἑτέρων ποιητων λάθρα, ἐπειδὴ διὰ Φιλωνίδου καὶ Καλλιστράτου καθίει τινὰ τῶν δραμάτων. πρῶτον γὰρ δρᾶμα δι' ἑαυτοῦ καθῆκε τοὺς Ἱππέας.

At restat aliquid difficultatis in numero plurali *ἑτέροισι ποιηταῖς*, cum unus Callistratus intelligi possit. Quae praecedunt verba *ἐπικουρῶν κρύβδην* mihi quidem nihil movent dubitationis; nam Aristophanes fabulis concessis Callistrato et Philonidi revera succurrebat vel eos adiuvabat, atque illud quidem clam populo. Sed quid de numero plurali? Quid, si poeta paullulum gloriosius locutus est? Si verum paullulum correxit? An non putabimus? Fateor hanc meam esse sententiam, cum alio modo pluralem interpretari prorsus nequeam. Ceterum comico tale aliquid non potest vitio verti, praesertim cum etiam Philonides, cum poeta haec verba scriberet, fabulam Aristophaneam, Nubes scilicet, iam docuisset, de qua re infra accuratius disputabimus. Fieri igitur facile potuit, ut Aristophanes huius rei memor temporum ordine hac una in re minus diligenter servato de industria pluralem poneret pro simpliciore singulari. Sed utut haec res se habet, illud meo iudicio dilucide efficitur ex hoc, de quo agimus, Vesparum loco Callistratum, qui maxime intelligendus sit in *ἑτέροισι ποιηταῖς*, poetam comicum fuisse. Iam igitur ipsius Aristophanis testimonio id quod suspicati sumus verum esse evictum est.

Uterque igitur, et Callistratus et Philonides, comicus fuit poeta. At cum clarissimus certe neuter fuerit, nullam esse Callistrati p o e t a e apud alios mentionem non debemus mirari; nam id aliis quoque accidit, de quibus, nisi nomina eorum casu aliquo accepissemus, nihil compertum haberemus, veluti Lycis Ran. vs. 14 et Pythangelus tragicus vs. 87 plane ignoti sunt.

Sed iam instat quaestio, cur tandem hanc viam comoedias suas docendi tam saepe poeta ingressus sit. Primam fabularum Aristophanem suo nomine docuisse Equites ipse testatur Equ. vs. 512 sqq.:

ἃ δὲ θαυμάζειν ὑμῶν φησιν πολλοὺς αὐτῷ προσιόντας
καὶ βασανίζειν, ὡς οὐχὶ πάλαι χορὸν αἰτοίη καθ' ἑαυτόν,
ἡμᾶς ὑμῖν ἐκέλευε φράσαι περὶ τούτου.

Praecedunt autem tempore Daetalenses, Babylonii, Acharnenses, quas comoedias Callistrato docendas dediderat. Sed curnam Aristophanes non suo nomine has fabulas docuit? Cur tribus demum annis post quam prima acta erat ipse chorum petivit? Quam rem facile intelligeremus, si postea semper ipse docuisset; at ne tum quidem Callistrato et Philonidi comoedias concedere destitit, quin etiam plures, quantum licet videre, quam ipse in scaenam commisit.

Sed audiamus, quae poeta ipse narrat, cum saepius hanc rem iocose et ingeniose luserit. Atque primus est locus ille, quem modo laudavimus, Equ. vs. 512 sqq. In hac Equitum parabasi multos narrat Aristophanes ad se venisse et mirantes quaesivisse, cur non iam dudum suo nomine chorum poposcisset. Consulto se cunctatum esse et haesitasse, cum et artem poeticam omnium difficillimam putaret et Atheniensium animos varios atque mutabiles esse haud ignoraret. Quod postquam exemplis illustravit, suam artem comparat cum nautica: neminem gubernatorem statim exsistere posse, sed omnibus deinceps muneribus fungentem paullatim ad summum locum pervenire, vs. 541 sqq.:

ταῦτ' ὀρρωδῶν διέτριβεν ἀεί, καὶ πρὸς τούτοισιν ἔφασκεν
ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν,
κᾆτ' ἐντεῦθεν πρῳρατεῦσαι καὶ τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι,
κᾆτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ.

Non licet ex hac qua utitur poeta similitudine efficere Aristophanem in comoediis suis ante Equites doctis partes egisse; id unum concedi potest, quod multis visum est, verbis *τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι* eum sensum subesse, ut Aristophanes fabulis alieno nomine commissis auram popularem observare voluerit, quia hoc consilium eius revera fuit. Nihil ultra; nam hoc tantum dicit poeta: permagni se facere poeticam, quam, ut gubernator artem regendi, ita ipse paullatim ediscere debuerit, priusquam in publicum prodire potuerit. Et quamquam Musam iam primam suam fabulam placido lumine vidisse plausu spectatorum edoctus esset, tamen civium inconstantiam timentem ne tum quidem se ausum esse discrimen facere. Quibus de caussis tam diu cunctatum semet ipsum tum demum Equitum chorum petivisse. Hic sensus versibus subest; nihil etiam insuper colligere vel potius comminisci licet

de Aristophane chorenta, coryphaeo, actore, quod a poetae ingenio prorsus abhorret. Arcere viros doctos talibus inventis iam Bergkii verba debuerunt (ap. Mein. fr. com. Graec. II. pag. 916): „in qua (sc. in hac imagine vel similitudine), vir doctus inquit, illud noli nimis efferre, quod tria quasi genera distinxit, neve inde conicias sic etiam in comici poetae munere tres quasi gradus dispescendos esse: verum nihil aliud hoc exemplo docet poeta quam quemadmodum in navi... ita etiam in comica arte sensim et quasi per gradus summum fastigium esse petendum: significat igitur poeta nihil aliud quam se primum aliis poetis honorem lubenter concessisse . . ., nunc demum ab praetore chorum petere ausum esse.“

Eandem rem tetigit Aristophanes Nub. vs. 528 sqq.:

ἐξ ὅτου γὰρ ἐνθάδ' ὑπ' ἀνδρῶν, οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν,
ὁ σώφρων τε χὼ καταπύγων ἄριστ' ἠκουσάτην,
κἀγώ, παρθένος γὰρ ἔτ' ἦ, κοὐκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν,
ἐξέθηκα, παῖς δ' ἑτέρα τις λαβοῦσ' ἀνείλετο,
ὑμεῖς δ' ἐξεθρέψατε γενναίως κἀπαιδεύσατε·
ἐκ τούτου μοι πιστὰ παρ' ὑμῖν γνώμης ἔσθ' ὅρκια.[1])

Simulat vel fingit poeta se etiam virginem fuisse, quae, cum partum edere nondum deceret, prolem exposuerit. Non est caussa dissimilis illi in Equitum parabasi prolatae, cum utroque loco inprimis aut imperitiam aut adulescentiam arguat, quibus ne ipse doceret impeditus sit; altera autem altera continetur: nam propter id ipsum, quod aetate minor erat, imperitior esse sibi videbatur quam ut fortunam periclitaretur.

His duobus locis probat et excusat quodammodo Aristophanes, cur tam diu se celaverit fabularum auctorem neque suo nomine chorum petiverit. Atque ex his grammatici sua collegerunt, quae legimus ad Nub. vs. 529: *διόπερ ἔστι μὲν αὐτὸ πρῶτον τῶν δραμάτων* (sc. *Δαιταλῆς*), *ὑπὸ δὲ αἰδοῦς οὐ δι' ἑαυτοῦ ἐπεδείξατο αὐτό,* — et ad vs. 530: *κοὐκ ἐξῆν πώ μοι· οὔπω ἐπέτρεπον ἐμαυτῷ τὸ λέγειν διὰ τὴν αἰδῶ.*

[1]) Verba *οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν* vs. 528 corrupta esse videntur; Kockii quidem coniectura '*οἷσιν δίκης μέλει*' vereor ne deterior sit quam verba tradita. Vs. 530 Leo coniecit *ὦ 'γώ* pro *κἀγώ* (Mus. Rhen. 33. p. 401), quae probabilis est coniectura.

οὐ γὰρ δι' ἑαυτοῦ ἐξ ἀρχῆς καθῆκε τὰ δράματα ὁ ποιητής, εὐλαβὴς ὤν, — et similiter in Vita: *εὐλαβὴς δὲ σφόδρα γενόμενος τὴν ἀρχὴν ἄλλως τε καὶ εὐφυὴς τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα.*

Quin Aristophanes, cum Daetalenses scriberet, peradulescentulus fuerit, dubitari non potest; cf. schol. ad Ran. vs. 501 fin.: *σχεδὸν γὰρ μειρακίσκος ἤδη ἥπτετο τῶν ἀγώνων* (sc. *Ἀριστοφάνης*). Neque igitur est, cur his caussis ab ipso poeta et a grammaticis prolatis fidem non habeamus. Archon quidem fabula perlecta et comprobata haud scio an chorum etiam adulescentulo concesserit; sed quid profuisset Aristophani, si rerum scaenicarum imperitus fabulam bene instituere nescivisset? Nonne periculum erat, ne, quamvis bella esset comoedia, exsibilaretur et exploderetur propter inscitiam suam? Huc accedit, quod civium suorum animos mutabiles esse vel maxime haud ignorabat, quare Daetalensium fabula populo probata pretioque secundo ornata[1]) non tumide elatus protinus e tenebris prodiit, sed, si Musae suae constanter plauderent, in occulto exspectare ei propositum erat. Quod cum persuasum haberet et amici notique — nam nisi hos nullos esse *πολλοὺς αὐτῷ προσιόντας,* Equ. vs. 512, luce, ut opinor, clarius est — vehementer rogarent, ne diutius laudem publicam quasi fastidiret: tum denique ipse chorum suo nomine petere populoque verum poetam se ostendere animum induxit.

Atqui postea quoque Callistrato et Philonidi identidem fabulas docendas dedit. Quid? Etiam tum imperitior fuit aut annis inferior? Alia videlicet caussa accessit, qua motus hanc potissimum fabulas committendi rationem iniit.

Aristophanem patre non inope satis nobili loco ortum esse diu multumque in ipsius natura fabulisque pernoscendis versatus mihi persuasi. Similis est Rankii sententia (in Comm. de Arist. vita in edit. B. Thierschii, cf. ap. Mein. pag. XII), qui de parentibus poetae haec: „At si in his, inquit, coniecturae est locus, quum filium hominem vere eximium Atheniensibus educaverint, qui, ubi primum in urbe patria eius nomen

[1]) Schol. ad Nub. vs. 529: *οἱ γὰρ* (sc. *Δαιταλῆς*) *ἐνίκησαν, ἐπεὶ δεύτερος ἐκρίθη ἐν τῷ δράματι.*

innotuit, summa se gloria ornaverat ipse, ingenii non minus praestantia perspicuus, quam studiorum insignis nobilitate: parentes equidem non infimo loco natos neque ignobiles homines fuisse crediderim. Neque si primum eius in theatrum ingressum aut totam eius vitam, quantum id licet, contemplor, pauperes eos fuisse et ad illiberalia negotia coactos mihi persuadere queo. Omne enim a nostro poeta abest commodi sui studium." Raro ingenio praeditus destinatus quodammodo fuit Aristophanes ad poesin, quam magno amore amplexus bellissimis floribus exornavit, cum arti suae artis ipsius caussa se daret et dare posset, se aliosque oblectans; quae artem poetae excedebant, reiecit ut molesta et fastidivit. Et molesta non dubie negotia scaenica fuerunt, quippe cum archontem adire chorumque ab eo petere opus esset atque choreutae et actores instituendi essent, quo in munere nisi quis summa opera diligentiaque utebatur, eventus vix poterat sperari. Quae incommoda ut evitaret Aristophanes saepissime per alios comoedias suas docendas curavit, cum ipse magistri munere satis raro fungeretur. Quin etiam primas fabulas putaverim hac de caussa non minus quam propter adulescentiam inscitiamque Callistrato a poeta traditas esse. .

Cognitis iam caussis, quibus impulsus Aristophanes suo nomine fabulas docere plerumque supersedebat, quaestio exoritur, utrum Callistratus et Philonides comoediarum Aristophanearum, quas docebant, veri poetae habiti sint a populi multitudine necne. Equidem ego in utra sim sententia iam adumbravi. Aristophanem enim, priusquam Equites suo nomine in scaenam induceret, non innotuisse poetam ipse docet testis locupletissimus, foedeque errant, qui ipsi poetae fidem derogantes quasi per vim in alteram sententiam discedunt. Nam quid tandem quaeso sibi vellent verba illa pag. 10 exscripta, Nub. vs. 528 sqq., nisi poeta adulescens in occulto se condidisset, cum alius poeta comoediam exciperet et suam faceret, tamquam femina alius virginis filiam expositam suam faceret et nutriret? Non modo supervacanea, sed etiam inepta haec verba essent, si Aristophanem Daetalensium auctorem esse, cum comoedia agebatur, nemo ignoravisset. Quod si res ita se habuisset, Callistratus et Philonides quasi operarii fuissent, de quibus Aristophanem in fabulis suis verba

facere valde miraremur. Itaque ex his versibus necesse est colligamus poetam Aristophanem, cum Daetalensium fabula ageretur, plane ignotum fuisse.

Verum alterum exstat ipsius Aristophanis testimonium multo etiam gravius, quo omnes dubitationes pelluntur, Vesp. vs. 1017 sqq.:

ἀδικεῖσθαι γάρ φησιν πρότερος πόλλ' αὐτοὺς εὖ πεποιηκώς,
τὰ μὲν οὐ φανερῶς, ἀλλ' ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς,
μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι·
μετὰ τοῦτο δὲ καὶ φανερῶς ἤδη κινδυνεύων καθ' ἑαυτόν,
οὐκ ἀλλοτρίων, ἀλλ' οἰκείων Μουσῶν στόμαθ' ἡνιοχήσας.

De his versibus quid iudicemus, pag. 6 sqq. liquide exposuimus. Itaque cum hoc loco poeta non unam Daetalensium fabulam, sed omnes ante Equites alieno nomine commissas respexerit, apparet vel sequitur necessario has omnes actas esse, cum nomen veri poetae nondum vulgatum erat. Aliam interpretationem imagines, quibus poeta usus est, verba illa *οὐ φανερῶς* et *ἐπικουρῶν κρύβδην*, denique totius loci ratio atque tenor nullo modo prorsus admittunt. Quae cum ita sint, Callistratum illarum Aristophanis comoediarum auctorem existimatum esse apparet.

Sed etiam post Equites Aristophanes laborem scaenicum saepe in alios contulit neque Callistrato aut Philonidi comoedias cedere desiit. Putabimusne etiamtum hos veros auctores habitos esse? Equidem quamquam plerosque aliter iudicare scio, utrumque in theatro, donec comoedia agebatur, a populo verum fabulae poetam semper existimatum esse persuasum habeo. Non igitur eas fabulas, quae ante Equites alieno nomine actae sunt, ab eis secerno, quae postea commissae sunt ab aliis. Quod ut recte vereque intelligatur, in res scaenicas paullo accuratius inquiramus.

Antiquitus mos fuit Athenis ab ipso poeta chorum in orchestram induci; spectatores poetae nomen audiebant, cum praeco magna voce poetam inducere iubebat: *εἴσαγε, ὦ δεῖνα,*

τὸν χορόν. Servabantur mos et formula, cum non solum chorum, sed totam fabulam poetae in scaenam inducerent. Cum suo nomine chorum petere poetas solere nemo nesciret, nemo dubitare poterat, quin is, qui a praecone nominabatur, fabulam agendam composuisset. Nomina poetarum non prius cognita fuisse quam praeco in theatro chorum inducere eos iuberet, apparere videtur ex Acharn. vs. 9 sqq.:

ἀλλ' ὠδυνήθην ἕτερον αὖ τραγῳδικόν,
ὅτε δὴ 'κεχήνη προσδοκῶν τὸν Αἰσχύλον,
ὁ δ' ἀνεῖπεν· εἴσαγ', ὦ Θέογνι, τὸν χορόν.

Etenim si fabulae agendae sive publicis tabulis sive praeconis voce pronuntiatae essent, qui fieri potuit, ut Dicaeopolis Aeschyleam tragoediam exspectaret?[1]) Sed etiamsi aliquo modo fabularum tituli et nomina poetarum antea in vulgus emanabant, tamen Aristophanes, ubi alii fabulam dederat, nominari nequibat. Nam cum Callistratus et Philonides poetae essent, propriam eorum comoediam actum iri quis potuit negare? Suspicari fortasse licebat, verum videre dubito an non semper licuerit, si quidem multitudo populi, quippe cum spectandi seque delectandi caussa venisset, tanto opere de poeta laborabat.

Monendum porro est alios quoque poetas Atticos et tragicos et comicos nonnumquam fabulas suas aliis cessisse, quamquam nemo, quantum licet videre, Aristophanem in hac re superasse videtur. Ut exemplis utar, Euripides Democrati[2]), Eupolis Demostrato[3]), Antiphanes Stephano[4]) fabulas do-

---

[1]) Quod Aeschylus hoc loco nominatus est, non Dicaeopolidi tribuendum est, sed Aristophani, qui magnum et divinum Aeschylum pusillo et frigido Theognidi opponit, quod illius mortui tragoediam spectare malit quam vivi Theognidis. Itaque ex hoc loco id sequitur, ut paullo ante Theognis fabulam docuerit, ex qua magnum Aeschyleae tragoediae desiderium Aristophanem ceperat, quod desiderium Dicaeopolin illo modo exprimentem fecit. Tragoedias vero etiam mortui Aeschyli doceri potuisse populi scito ratum erat.

[2]) Schol. ad Eur. Androm. vs. 445: . . . *Καλλίμαχος ἐπιγραφῆναί φησι τῇ τραγῳδίᾳ Δημοκράτην.*

[3]) Athen. V. pag. 216 D: . . . *Ἀριστίων ἄρχων ἦν. ἐπὶ τούτου γὰρ Εὔπολις τὸν Αὐτόλυκον διδάξας διὰ Δημοστράτου κτλ.*

[4]) Anon. *περὶ κωμ.* III: *τῶν δὲ κωμῳδιῶν αὐτοῦ* (sc. *Ἀντιφάνους*) *τινὰς καὶ ὁ Στέφανος ἐδίδαξεν.*

cendas dederunt. Et saepe poetae id fecerunt eo consilio, ut filios vel propinquos populo commendarent, velut Aristophanes ipse hac de caussa Araroti filio Cocalum et Aeolosicona condonavit; cf. Plut. arg. IV: *Ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀντιπάτρου . . . τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα [δι' αὐτῆς] τοῖς θεαταῖς βουλόμενος, τὰ ὑπόλοιπα δύο δι' ἐκείνου καθῆκε, Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα.* Quem finem, scilicet ut filios suos populo commendarent, patres non assecuti essent, nisi tales poetae suppositicii a populo veri fabularum auctores semper habiti essent. Exemplum licet afferre huius rei Ran. vs. 72 sqq.:

ΗΡΑΚΛΗΣ.

τί δ'; οὐκ Ἰοφῶν ζῇ;

ΔΙΟΝΥΣΟΣ.

τοῦτο γάρ τοι καὶ μόνον
ἔτ' ἐστὶ λοιπὸν ἀγαθόν, εἰ καὶ τοῦτ' ἄρα·
75. *οὐ γὰρ σάφ' οἶδ' οὐδ' αὐτὸ τοῦθ' ὅπως ἔχει.*
. . .
78. *οὔ, πρίν γ' ἂν Ἰοφῶντ', ἀπολαβὼν αὐτὸν μόνον,*
ἄνευ Σοφοκλέους ὅ τι ποιεῖ κωδωνίσω,

quibus apparet Athenienses dubitasse, utrum Iophon proprias tragoedias doceret an Sophoclis patris; cf. schol. ad vs. 73: *υἱὸς Σοφοκλέους ὁ Ἰοφῶν. ἠγωνίσατο δὲ καὶ ἐνίκησε λαμπρῶς ἔτι ζῶντος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. διὸ ἀμφιβάλλει μήποτε τοῦ Σοφοκλέους εἴη εἰρηκὼς τραγῳδίαν,* — et ad vs. 78: *κωμῳδεῖται γὰρ ὁ Ἰοφῶν ὁ υἱὸς Σοφοκλέους ὡς τὰ τοῦ πατρὸς λέγων ποιήματα. Ἄλλως. . . . ἐπὶ τῷ ταῖς τοῦ πατρὸς τραγῳδίαις ἐπιγράφεσθαι κωμῳδεῖται κτλ.*, ubi verbo *ἐπιγράφεσθαι* liquide patet Iophontis nomen publice in album poetarum relatum esse. Consentit Suidas s. v. *Ἰοφῶν*: . . . *δράματα δὲ Ἰοφῶν ἐδίδαξε ν', ὧν ἐστὶν Ἀχιλλεύς, Τήλεφος, Ἀκταίων, Ἰλίου πέρσις, Δεξαμενός, Βάκχαι, Πενθεὺς καὶ ἄλλα τινὰ τοῦ πατρὸς Σοφοκλέους.* Similiter ac Iophon Euphorion, filius Aeschyli, et alter Euripides fecisse videntur; cf. Suid.: *Εὐφορίων, υἱὸς Αἰσχύλου τοῦ τραγικοῦ, Ἀθηναῖος, τραγικὸς καὶ αὐτός, ὃς καὶ τοῖς τοῦ πατρὸς Αἰσχύλου, οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετράκις ἐνίκησεν*; et Vit. Eur.: *υἱοὺς κατέλιπε τρεῖς* (sc. *Εὐριπίδης*), . . . *νεώτερον* (*νεώτατον* Nauck.)

δὲ Εὐριπίδην, ὃς ἐδίδαξε τοῦ πατρὸς ἔνια δράματα, cf. etiam schol. ad Ar. Ran. vs. 67, quamquam hoc loco de tragoediis patre mortuo a filio doctis agitur: *οὕτω γὰρ καὶ αἱ διδασκαλίαι φέρουσι, τελευτήσαντος Εὐριπίδου τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι ὁμώνυμον ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι, Ἀλκμαίωνα, Βάκχας*: nam has quoque suo nomine filium commisisse mihi quidem persuasum est. Itaque hi omnes fabulas docuerunt, quasi suae essent, et a populo auctores earum habiti sunt. Sic res sine dubio etiam in aliis se habuit neque non in Callistrato et Philonide, praesertim cum horum uterque ipse poeta esset et proprias quoque comoedias doceret[1]).

At imprudenter Aristophanes videtur fecisse, cum pro aliorum gloria operam perderet, neque defuerunt Athenis, qui hanc ob rem in comoediis eum ludificarent et irriderent. Legimus enim haec in Vita Arist.: *εὐλαβὴς δὲ σφόδρα γενόμενος τὴν ἀρχὴν ἄλλως τε καὶ εὐφυὴς τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα. διὸ καὶ ἔσκωπτον αὐτὸν Ἀριστώνυμός τε καὶ Ἀμειψίας, τετράδι λέγοντες (αὐτὸν* Gelenius add.) *γεγονέναι, κατὰ τὴν παροιμίαν,* (*ὡς* id. add.) *ἄλλοις πονοῦντα*; et similia apud schol. Clark. Plat. Apol. pag. 19 C: *Ἀριστώνυμος δ' ἐν Ἡλίῳ ῥιγοῦντι καὶ Σαννυρίων ἐν Γέλωτι τετράδι φασὶν αὐτὸν γενέσθαι, διότι τὸν βίον κατέτριψεν ἑτέροις πονῶν· οἱ γὰρ τετράδι γεννώμενοι πονοῦντες ἄλλοις καρποῦσθαι παρέχουσιν, ὡς καὶ Φιλόχορος ἐν τῇ πρώτῃ περὶ ἡμερῶν ἱστορεῖ. ταύτῃ δὲ καὶ Ἡρακλῆ φασὶ γεννηθῆναι.* Acerbe, Hercule, quod tuo more pro aliis labores subiret, princeps comicorum ab his pusillis hominibus perstrictus est. Quin etiam magnus Plato similibus cavillationibus in comoediis suis poetam aemulum exagitasse videtur[2]). Sed quid tandem tales iniuriae valuissent, si inde a primae comoediae tempore Aristophanem Daetalenses, Babylonios, alias fabulas scripsisse iam nemo nescivisset? Quem ad finem tam vehementer illi in poetam invecti essent? Quis talia intelligere potuit? Nonne timendum erat, ne ipsi irriderentur, cum

---

[1]) De fabulis alieno nomine commissis vide omnino Wolfgangi Helbig Quaest. scaen. diss. philol. Bonnae 1861.

[2]) cf. Suid. s. v. *Ἀρκάδας μιμούμενοι* coll. Cobet. Obss. crit. in Plat. com. rell. p. 104 sqq. et H. Lübke. Obss. crit. in hist. vet. Graec. com. diss. inaug. Berol. 1883. p. 51—53.

Aristophanes ab omnibus extolleretur? Manifestum est comicos talia prolaturos non fuisse, nisi Callistratus et Philonides a populo veri comoediarum Aristophanearum auctores putati essent. His ipsis aemulorum cavillationibus sententia nostra luculentissime probatur. Sed quamquam Aristophanes talibus conviciis undique carpebatur, minime ratione illa, quam sequi solebat, laude aut gloria se orbavit.

Poeta comoedias scribere satis habebat, etiam modos musicos fortasse componebat, quamquam de hac re dubitare licet, cum Aristophanis aetate poetae hoc munus plerumque viris artis componendi inprimis peritis tradere solerent[1]). Molestiarum Aristophani nihil erat, cum alia negotia omnia vicarius procuraret. Hunc vero, ubi chorum ab archonte impetraverat nomenque eius quasi auctoris in album publicum relatum erat, publice omnia praestare necessario consequens erat. Quapropter ut laudem sibi parabat comoediae commissione, ita periculum, si quod e fabula nascebatur, ei subeundum erat. Revera autem vicarii nomen ab archonte in album relatum esse, quamquam per se probabile est, cognoscere licet ex schol. ad Ar. Plut. vs. 179: . . . *Φιλωνίδην δὲ οὐ τὸν ποιητήν φησι τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐγγεγραμμένον δράμασιν* (*τόν τισιν Ἀριστοφανείοις ἐπιγεγραμμένον δράμασιν* Dindorf.), — et ad Eur. Androm. vs. 445: *εἰλικρινῶς τοὺς τοῦ δράματος χρόνους οὐκ ἔστι λαβεῖν· οὐ δεδίδακται γὰρ Ἀθήνησιν· ὁ δὲ Καλλίμαχος ἐπιγραφῆναί φησι τῇ τραγῳδίᾳ Δημοκράτην,* — et ad Ar. Ran. vs. 78: . . . *ἐπὶ τῷ ταῖς τοῦ πατρὸς τραγῳδίαις ἐπιγράφεσθαι κωμῳδεῖται* (sc. *Ἰοφῶν*). Atque hoc verbum, scilicet *ἐπιγράφειν,* proprium fuisse, quo is publice significaretur, qui fabulam doceret, apparet quoque ex his verbis Anon. *περὶ κωμ.* III: *τοὺς λοιποὺς* (*τοῦ λοιποῦ* Dindorf.) *ἐπιγραφόμενος ἐνίκα* (sc. *Ἀριστοφάνης*) et his in Ran. arg. I: *Φιλωνίδης ἐπεγράφη καὶ ἐνίκα,* quae Musurus in editione Aldina, haud dubie, ut Dindorfium sequar, ex codice aliquo recenti, posuit pro *διὰ Φιλωνίδου,* quod in nostris codicibus exaratum est. Verum

---

[1]) Ut exemplum huc afferam, in Vita Euripidis legimus: *οἱ δὲ τὰ μέλη αὐτῷ φασὶν Ἰοφῶντα* (*Κηφισοφῶντα* Welcker, male secutus schol. ad Ar. Ran. vs. 944) *ποιεῖν ἢ Τιμοκράτην Ἀργεῖον.*

si in publicis didascaliis vicariorum nomina scribi solebant, etiam publicis monumentis horum nomina insculpta esse conicere non est audaciae. Etiam pretium publicum vicario solutum esse consentaneum est. His commodis, quae cedebat, operam magistri vicarii verus poeta videtur compensasse. Quae quantulicumque facis, magnum nec spernendum laborem chori magister sine dubio suscepit, multumque fecerunt ad bonum eventum ars eius et diligentia, quamobrem laude, si quam commissione sibi parabat, certe dignus erat. Itaque si haec omnia consideraverimus, Aristophanem se aliis poetis succurrisse suo iure praedicare potuisse libenter concedemus.

Fuerunt ergo commoda, quibus ei, qui molestiam fabulae docendae ipse non subibat, carendum erat, neque tamen fuerunt eiusmodi, ut vir nobilis et dives, qualis fuit Aristophanes, aliquo modo afficeretur: laude enim non caruit neque non fuit in summo honore. Nam primum in ipso theatro non poeta, sed tribus, cuius choregus sumptum fecerat et chorum praebuerat, princeps fuit, ut ita dicam, quae vicisse publice nuntiabatur et tripodem praemium propositum auferebat. Tum vero poeta, quo prudentior erat, eo facilius fugacem populi affectum plausumque parvi ducebat: eis potius, qui iudicare poterant et a quibus extolli quam maxime iuvabat, se suamque artem probare plurimum eius intererat. Aristophanes ipse nonnumquam hanc rem tetigisse mihi videtur, caute quidem et satis tecte, videlicet ne vulgus offenderet, veluti Vesp. vs. 1048 sqq.:

τοῦτο μὲν οὖν ἔσθ' ὑμῖν αἰσχρὸν τοῖς μὴ γνοῦσιν παραχρῆμα,
ὁ δὲ ποιητὴς οὐδὲν χείρων παρὰ τοῖσι σοφοῖς νενόμισται,
εἰ παρελαύνων τοὺς ἀντιπάλους τὴν ἐπίνοιαν ξυνέτριψεν,

et Nub. vs. 525 sqq. dubito an simile aliquid animo eius obversatum sit. Efficiebat autem illud, quod optabat et petebat, quod fabulas, postquam actae sunt, suo nomine praefixo foras dabat: hoc modo innotuit verus poeta, hoc modo inclaruit.

Quae si recte hucusque disputavimus, Aristophanes quaecumque proferebat de chori magistro vel de poeta in eis fabulis, quas non ipse docebat, ita comparare debebat, ut ad poetam suppositicium referri possent, cuius fictionis

documentum egregium Acharnensium fabula praebet. Eadem de caussa de se suisque rebus nisi in eis comoediis, quas ipse docere sibi proposuerat, non poterat fabulari.

Postquam haec in universum exposuimus, optimum esse mihi videtur singulas deinceps comoedias percensere, ut videamus, quid de uniuscuiusque fabulae commissione, quantum quidem ad Callistratum sive ad Philonidem pertineat, erui et statui possit.

Primam omnium Aristophanis fabularum fuisse Daetalenses vel Epulones, si placet vertere, inter omnes constat. Acta est anno ol. 88, 1 vel 427 a. Ch. n. Diotimo archonte; Anon. *περὶ κωμ.* III: *ἐδίδαξε δὲ πρῶτος ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου.* Neque vero traditum est, Lenaeis an Dionysiis magnis commissa sit. Errant enim, qui ex Acharn. vs. 1155:

ὅς γ' (sc. *᾿Αντίμαχος*) *ἐμὲ τὸν τλήμονα Λήναια χορηγῶν ἀπέλυσ' ἄδειπνον*

Daetalensium fabulam Lenaeis ascribendam esse concludunt, cum chorum ad Lenaea anni 426 alludere consentaneum sit; nam si toto biennio ante Antimachus id commisisset, Aristophanes hanc rem, quae diu obsolevisset, non memorasset. Praeterea monendum est chorum non de Aristophane pronuntiare, quem Antimachus ad cenam non vocaverit: se ipsum, cum proximis Lenaeis comoediam egisset nescio quam, male apparatis epulis aut non prorsus ab Antimacho chorego invitatum esse conqueritur.

Doctam esse Daetalensium comoediam per Callistratum iam diximus. At sunt, qui Philonidi eam tribuant[1]) his nisi testimoniis. Mentionem facit Aristophanes primae suae fabulae Nub. vs. 528 sqq., quos supra exscripsimus. Notari his versibus Daetalenses affirmat scholiastes, qui annotavit ad vs. 531: *παῖς δ' ἑτέρα: Φιλωνίδης καὶ Καλλίστρατος. ἐπεὶ οὐ δι' ἑαυτοῦ ἐδίδαξε τοὺς Δαιταλεῖς, πρῶτον αὐτοῦ δρᾶμα.* Quod cum Philonides et Callistratus hoc loco nominati sint, non unus Callistratus, consequens esse, ut Daetalenses Philonides docuerit, cum Babylonii aut Acharnenses a Callistrato

[1]) Fritzsche. Quaest. Arist. Lips. 1835. tom. I. p. 312. Kock. De Phil. et Call. p. 19. Dindorf. poet. scaen. Graec. Lips. 1869. p. 182. Ranke. vit. Arist. ap. Mein. p. XX. alii.

abiudicari non possint. Sunt qui ita ratiocinentur. Sed quo iure scholiastam hoc loco de tribus fabulis ante Equites datis cogitasse contendi potest? Si lemma contemplamur, videtur docere voluisse, quaenam fuerit illa alia puella, quam infantes expositos — Daetalensium duas personas principes, h. e. ipsam comoediam — recepisse poeta dixerit. Quod ut doceat, scribit *Φιλωνίδης καὶ Καλλίστρατος*. Sed hoc esse ineptissimi quis non intelligit? Qui fieri potest, ut *ἡ ἑτέρα παῖς* duo sint, Philonides et Callistratus? Videtur scholiastes non id egisse, ut Daetalensium magistrum nominaret; immo eorum nomina, quos fabulas Aristophaneas saepius in certamen commisisse sciebat, afferre satis habuit. Cui hoc non placet, succurrat licet grammatico scribens *ἢ* pro *καί*, ita ut ipse nescius in dubio reliquerit, uter Daetalenses docuerit. Utcumque res se habet, nullo modo contingit, ut ex his verbis Daetalensium magister eruatur Philonides.

Quod de hoc scholio exposuimus, idem valet in aliud, quod legitur ad Vesp. vs. 1018: . . . *διὰ Φιλωνίδου καὶ Καλλιστράτου καθίει τινὰ τῶν δραμάτων. πρῶτον γὰρ δρᾶμα δι' ἑαυτοῦ καθῆκε τοὺς Ἱππέας.* Etiam hoc loco nihil videlicet studuit scholiastes nisi ut eos, quos docere Aristophanis comoedias solitos esse constabat, nominaret temporum ratione plane neglecta, quare Philonidem, quippe cuius nomen priore loco positum sit, Daetalenses commisisse ex hoc scholio colligere non licet. Ex ordine, quo nomina scripta sint, nihil de tempore efficiendum esse patet ex eo, quod alio loco Callistrati nomen priore loco positum videmus, cum in Vita Arist. haec legamus: *τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα.*

Sed etiam aliud documentum proferunt, qui Philonidi primae fabulae palmam eripi non sinunt, laudantes Anonymi *περὶ κωμ.* III haec verba: *τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς* (sc. *κωμῳδίας*) *τούτῳ* (sc. *Καλλιστράτῳ*) *φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰ* (malim *τὰς*) *δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ.* His verbis probari Daetalensium fabulam doctam esse per Philonidem, cum Babylonii et Acharnenses sint *πολιτικαὶ κωμῳδίαι,* Daetalenses non sit. Aristophanem comoedias suas Callistratum inter et Philonidem consulto ita distribuisse non vereor, ne quis credat; exhibent illa verba sine dubio legem

a grammatico aliquo compositam, quem bene observantem recte in universum e fabulis hanc legem eruisse negari non potest. Itaque dedit Aristophanes comoedias politicas Callistrato, contra Euripidem et Socratem scriptas Philonidi: utri alias tradere solitus sit, non docemur. In Daetalensium autem comoedia nec de republica egit, nec Euripidem aut Socratem in hac fabula perstrinxit: nihil igitur valet illa lex ad hanc quaestionem diiudicandam. Accedit huc, quod ille grammaticus hanc legem ita non eo sensu scripsit, ut Philonidem Daetalenses docuisse opinaretur, ut contra Callistrati opera hanc fabulam commissam esse planis verbis diceret: *ἐδίδαξε δὲ* (sc. *Ἀριστοφάνης*) *πρῶτος ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου.* Est autem prima fabula Daetalenses. Atque hunc grammaticum verum tradidisse persuasum mihi est cum doctis viris plerisque, quia verba eius de prima Aristophanis fabula Diotimo archonte per Callistratum docta ita sunt comparata, ut veterem Daetalensium didascaliam dilucide prae se ferant.

Posteri anni Dionysiis magnis Eucle archonte Babyloniorum celeberrima illa comoedia in scaenam inducta est, quam anno post Acharnensium fabula secuta est. Quin utraque fabula per Callistratum docta sit, in dubium vocari non potest[1]), cum ex Acharnensium didascaliae reliquiis de hac comoedia liquide constet: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθύνου* (sic legendum est) *ἄρχοντος ἐν Ληναίοις διὰ Καλλιστράτου κτλ.,* neque est, quod huic testimonio fidem non habeamus. Eundem autem, qui Acharnenses, Babylonios quoque docuisse ex Acharnensium fabula adeo consequens est, ut prorsus carere queamus auctoritate Photii pag. 499, 1 aut Suidae s. v. *Σαμίων ὁ δῆμος*; legimus enim eadem verba apud utrumque: *τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης κτλ.*

Sed si ante Equites se ipsum chorum non petivisse

[1]) Unus Fritzschius, cum Callistratum et Philonidem actores fuisse Aristophanis ipse quoque opinetur, in Quaest. Arist. tom. I. p. 312 Babylonios et Acharnenses a Callistrato abiudicavit, quod ne Kockius quidem facere ausus est. Neque vero opinionem eius recensere tanti est, quam si vis cognoscere, librum Fritzschianum ipse evolvas.

Aristophanes nos non edoceret atque si haec Suidae et Photii testimonia non exstarent, tamen multi Babyloniorum quoque fabulam a Callistrato doctam esse non concederent, quod ex Acharnensibus necessario consequens esse nos contendimus. Negant enim illi ex certis quibusdam Acharnensium locis id colligi posse, quod nos colligimus. Itaque quamquam Callistratum ut Acharnensium ita Babyloniorum magistrum fuisse liquide constat atque ab omnibus conceditur, tamen cum duabus his comoediis ea quaestio cohaeret, qua virorum doctorum, qui de Aristophanis cum Callistrato condicione egerunt, animi maxime commoti sunt. Neque fieri potest, quin nos quoque in hanc rem diligentius inquiramus.

Traditum enim est in scholiis et legimus apud ipsum poetam in Acharnensibus post doctam Babyloniorum comoediam ob hanc ipsam fabulam Cleone auctore caussam actam esse apud senatores: quis reus fuerit, dubitant testes. Atque ne nostris quidem temporibus viri docti consentiunt, cum alii Aristophanem, qui comoediam scripserit[1]), alii Callistratum, qui eam suo nomine docuerit[2]), alii utrumque[3]) accusatum esse censeant. Veteres grammaticos simili modo inter se dissensisse equidem non miror. Posteris enim temporibus, ut fieri solet in hominibus minus claris et notis, Callistrati memoria evanescebat, et plerique Aristophanis interpretes ad poetam ipsum omnia temere referebant. Nos quidem, cum Babyloniorum comoediam a Callistrato doctam esse certo constet, in quam eamus sententiam, dubium esse nequit.

Sed inspiciamus ipsa testimonia, quae ad rem faciunt, ne temere iudicare videamur. Acharn. vs. 377 sqq.:

---

[1]) Fritzsche. Quaest. Arist. I. p. 301 sqq. Bergk. ap. Mein. fr. II. p. 932 et in Zeitschr. f. Geschichtswiss. ed. Schmidt. vol. II. p. 206—211. Dindorf. poet. scaen. p. 27. A. Müller. ed. Acharn. Hannov. 1863. p. XIII. W. Ribbeck. ed. Acharn. Lips. 1864. p. 216.

[2]) C. Fr. Hermann. Prooem. aestiv. Marburg. 1835. Ranke. vit. Arist. ap. Mein. p. XVI. E. Petersen. Fleckeis. Ann. 85. p. 655. Teuffel in R. E. ed. Pauly. s. v. Arist. Müller-Strüb. Arist. u. d. hist. Krit. p. 607. E. Meyer. De Arist. fab. commiss. Berol. 1863.

[3]) Od. Müller. hist. litt. Graec. II. p. 219. Kock. De Phil. et Call. H. Schrader. Philol. vol. 36. p. 385 sqq.

αὐτός τ᾽ ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἅπαθον.
ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν.
εἰσελκύσας γάρ μ᾽ εἰς τὸ βουλευτήριον
διέβαλλε καὶ ψευδῆ κατεγλώττιζέ μου
κἀκυκλοβόρει κἄπλυνεν, ὥστ᾽ ὀλίγου πάνυ
ἀπωλόμην μολυνοπραγμονούμενος.

Liquide ex his poetae verbis apparet Cleonem comoedia, quae anno ante Acharnenses data erat, offensum litem intendisse, quae apud senatores acta est. Quibus iniuriis vel contumeliis Cleon incensus sit, ex his versibus non discimus; sed aliis, qui paullo post leguntur, etiam de hac re docemur, vs. 501 sqq.:

ἐγὼ δὲ λέξω δεινὰ μέν, δίκαια δέ.
οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων, ὅτι
ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω.
αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὑπὶ Ληναίῳ τ᾽ ἀγών,
κοὔπω ξένοι πάρεισιν· οὔτε γὰρ φόροι
ἥκουσιν οὔτ᾽ ἐκ τῶν πόλεων οἱ ξύμμαχοι·
ἀλλ᾽ ἐσμὲν αὐτοὶ νῦν γε περιεπτισμένοι·
τοὺς γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω.
. . .
οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω,
μέμνησθε τοῦθ᾽, ὅτι οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω.

Cognoscimus ex his versibus Aristophanem in illa comoedia civitati maledixisse atque illud quidem Dionysiis magnis, quo tempore socii tributi solvendi caussa Athenas venire et in theatro spectantes adesse solebant. Poetam satis vehementer in leges institutaque civitatis Atheniensis invectum esse ex eo licet concludere, quod Cleon litem instituere non veritus est, quod, nisi eximia quadam acerbitate comicus poeta usus esset, vix fecisset.

Itaque omnia fere, quae sciri possunt, ex ipsis versibus effecimus, nisi quod illius comoediae titulum divinare non possumus, quem apud scholiastam scriptum videmus. Nisi hunc Babyloniorum titulum nihil praebet scholiastes, quod non ipsi quoque recte coniecimus. Haec autem annotavit ad vs. 378: *διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν: τοὺς Βαβυλωνίους λέγει. τούτους γὰρ πρὸ τῶν Ἀχαρνέων Ἀριστοφάνης ἐδίδαξεν, ἐν οἷς πολλοὺς κακῶς εἶπεν. ἐκωμῴδησε γὰρ τάς τε κληρωτὰς καὶ*

χειροτονητὰς ἀρχὰς καὶ Κλέωνα, παρόντων τῶν ξένων. . . . καὶ διὰ τοῦτο ὀργισθεὶς ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας, ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ταῦτα πεποιηκότα. Quae addidit verba *καὶ ξενίας δὲ αὐτὸν ἐγράψατο καὶ εἰς ἀγῶνα ἐνέβαλεν* nunc consulto omitto. Repetivit idem brevius ad vs. 503: *ξένων παρόντων: διὰ τὸ ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις πολλῶν παρόντων ξένων εἰρηκέναι κατὰ πολλῶν τὸν Ἀριστοφάνην. διὸ καὶ κατηγορήθη ὑπὸ τοῦ Κλέωνος.* Quae de Cleonis ira et de caussa profert, fortasse ex solis Acharnensium versibus recte quidem et prudenter collecta sunt, quamquam illa verba *ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ταῦτα πεποιηκότα* doctrinae speciem prae se ferunt. Sed utut haec res se habet, quod Aristophanem reum fuisse scholiastes tradit, fidem ei habere non possumus. Immo dubitari meo iudicio nequit, quin Callistratus accusatus sit; nam huic, cum archon nomen eius in album poetarum retulisset, omnia publice praestanda fuisse per se patet, quare nemo in ius vocari potuit nisi Callistratus, quippe qui suum nomen professus chorum Babyloniorum poposcisset et impetrasset. Nam quod Aristophanem non passurum fuisse dicunt poetam amicum ob comoediam a se scriptam in capitis periculum adduci [1]), haec caussa debilissima est, „quia Aristophanes, ut Rankii verbis utar, cum chorum non petivisset, nullum crimen commiserat", Callistrato, cum fabulam in scaenam induxisset, omnia pericula subeunda erant. Atque bene Petersenus l. l. pag. 655: „Hatte Kallistratos, inquit, die Aufführung der Babylonier übernommen, und er musste ja den Kleon so gut wie das Stück vorher kennen, so ist es ganz natürlich, dass er auch die Anklage aushielt. Ja selbst wenn sich Aristophanes genannt hätte, wäre doch Kallistratos der rechtlich zu Belangende gewesen: denn das Stück zu schreiben konnte niemandem verwehrt werden, aber dass es an den grofsen Dionysien aufgeführt war, das war der Klagegrund." Dederat autem Callistratus. Itaque Aristophanes, etiamsi amico auxilio venire voluisset, ne potuisset quidem, cum ipse contra ius

[1]) Bergk. ap. Mein. fr. II. p. 932. A. Müller. p. XIII. W. Ribbeck. p. 217.

nihil peccavisset. Id unum concedam poetam ita Callistrato succurrisse, ut ei, si forte multa multatus erat, damnum restitueret. Ceterum nemo atque ne Aristophanes quidem Callistratum coegit aut cogere potuit Babyloniorum chorum petere, quem si petebat, omnia poetae uti iura ita officia sibi praestanda esse non ignorabat. Quare caussam illam effugere non potuit. Hanc sententiam iam valuisse apud veteres grammaticos testis est schol. ad Vesp. vs. 1284:

εἰσί τινες οἵ μ' ἔλεγον ὡς καταδιηλλάγην,
ἡνίκα Κλέων μ' ὑπετάραττεν ἐπικείμενος κτλ.

schol.: *ἄδηλον, πότερον τῆς Καλλιστράτου εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγωγῆς καὶ νῦν μιμνήσκεται, ὅτι αὐτὸν Κλέων εἰσήγαγεν, ἢ ἑτέρας κατ' αὐτοῦ γενομένης Ἀριστοφάνους, καὶ μὴ εἰσαγωγῆς, ἀλλὰ ἀπειλῆς τινος, ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐμφαίνεται. ἐκεῖνά τε γὰρ ἀναπολεῖν ἀρχαιότερα ἔσται, νῦν τε ὡς περὶ αὐτοῦ λέγει.* Atque hoc scholion, quod infra accuratius inspiciemus, a bono fonte haustum esse videtur; certe dignitatem quandam, ut ita dicam, prae se fert, quae a nota scholiastarum vanitate valde abhorret.

Caussam autem *εἰσαγγελίαν* fuisse veri est simillimum, et consentiunt fere omnes de hac re, in quam accuratius inquirere, cum ab hac disputatione longius absit, supersedere possumus. Acta est caussa apud senatores, qui reum crimine liberasse aut satis parva pecunia multasse videntur. Id certe conicere licet ex illis verbis:

ὥστ' ὀλίγου πάνυ
ἀπωλόμην μολυνοπραγμονούμενος.

Callistratum igitur significant Acharnensium versus, de quibus adhuc disputavimus. Nondum vero quaestio de his versibus exhausta est, quos si accuratius consideramus, certe miramur. Loquitur enim in scaena Dicaeopolis, quem subito personam suam exuere et quasi illum reum ipsum provenire sane mirum est, praesertim cum in aliis comoediis servatis simile aliquid iterum non exstet [1]). Quin poeta libertate satis magna

[1]) In reliquiis Aristophanis duo fragmenta sunt, in quibus simile aliquid occurrere videtur. Legimus enim haec in Vita: *τινὲς δὲ δύο φασί*

usus sit, dubitari non potest, cum solus chorus poetae res in scaena enarrare soleret. Itaque si tantum sibi sumpsit, accedere aliquid opus fuit, quo fieri poterat, ut spectatores rem intelligerent. Hoc autem ita modo fieri potuit, ut actor, qui se a Cleone accusatum et male tractatum esse dicebat, et reus, qui revera accusatus et male tractatus erat, idem homo esset. Aristophanem in Acharnensibus Dicaeopolidis partes egisse iam per se non est credibile, cum tunc temporis in publicum prodire nondum animum induxisset; tum vero tale aliquid ab ingenio poetae, qualis ex mea sententia fuit, prorsus abhorrere iam monui. Contra multo facilius Callistratum, quippe qui homo ignobilior haud dubie esset, primas partes egisse credemus, quod poetas non numquam fecisse supra diximus. Si hoc statuimus, illa licentia bene toleratur neque apud spectatores ulla offensio moveri poterat, immo plausus risusque quam maximi, cum is, qui revera reus fuerat, ipse in scaena rem iocose et ridicule narraret[1]).

Cum ipsum Callistratum Dicaeopolidis partes egisse cognoverimus, paucis tangere licet locum quendam, ex quo dilucide apparet, quanto opere Aristophanes fictionem ubique servaverit, ut Callistratus verus poeta esse videretur. Dicaeopolis enim hos versus recitat, 496 sqq.:

(sc. *παῖδας Ἀριστοφάνους*), *Φίλιππον καὶ Ἀραρότα, ὧν καὶ αὐτὸς ἐμνήσθη:*

τὴν γυναῖκα δὲ
αἰσχύνομαι τώ τ' οὐ φρονοῦντε παιδίω

(Kock. fr. 588). Sed vereor, ne foede grammaticus erraverit, cum poetam his verbis, quae ad actionem sine dubio pertinebant, se ipsum intelligi voluisse putaret. — Difficilius est iudicare de altero fragmento. Est apud schol. Plat. Apol. pag. 19 C, qui Aristophanem a Cratino illusum, quod Euripidem imitaretur, id ipsum concessisse dicit his versibus:

χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ,
τοὺς νοῦς δ' ἀγοραίους ἧττον ἢ 'κεῖνος ποιῶ

(Kock. fr. 471). Conicere, ut Callistratum in Acharnensibus, ita Aristophanem in hac fabula (*Σκηνὰς καταλαμβάνουσαι*) actorem fuisse non audeo, quoniam tale aliquid poetae non tribuo. Itaque certi aliquid de his trimetris iudicare nequimus, praesertim cum huius loci cum aliis connexum non noverimus.

[1]) In eadem sententia sunt Ranke. p. XVIII. ap. Mein. Müller-Strüb. Ar. p. 607. Schrader. Philol. vol. 36. p. 396. alii.

μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες οἱ θεώμενοι,
εἰ πτωχὸς ὢν ἔπειτ' ἐν Ἀθηναίοις λέγειν
μέλλω περὶ τῆς πόλεως, τρυγῳδίαν ποιῶν.

Claris igitur verbis Callistratus se comoediam composuisse dicit vel potius simulat, quod Aristophanes certe ita non instituisset, nisi Callistratum verum comoediae auctorem haberi voluisset.

His absolutis ad parabasin progrediendum est. Chorum tantum de Callistrato, non de Aristophane, recitare potuisse meo iudicio e rebus ipsis consequens est. Incipit autem parabasis ab his anapaestis, vs. 628 sqq.:

ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν,
οὔπω παρέβη πρὸς τὸ θέατρον λέξων, ὡς δεξιός ἐστιν·
διαβαλλόμενος δ' ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐν Ἀθηναίοις ταχυβούλοις,
ὡς κωμῳδεῖ τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τὸν δῆμον καθυβρίζει,
ἀποκρίνεσθαι δεῖται νυνὶ πρὸς Ἀθηναίους μεταβούλους.

Ex animo eis assentior, qui monuerunt haec verba de poeta adulescenti, qualis tum Aristophanes fuisset, qui duas tantum comoedias antea scripsisset, praedicari vix potuisse; immo Callistratum intelligendum esse, qui cum sine dubio proprias comoedias iam multo ante docuisset, suo iure talia de se proferre quivisset. Certo de Callistrato cogitandum est, neque quisquam eorum, qui tum in theatro comoediam spectantes aderant, alium intelligere potuit, cum Callistratus antea a praecone ut poeta comoediae nominatim appellatus esset. Si consideramus nobiscum Aristophanem tunc temporis vix e pueris egressum nondum clarum et celebrem poetam fuisse, qualis post ab omnibus praedicabatur, quin etiam Callistratum ut natu maiorem ita notiorem certe fuisse, ne dicam clariorem, illud, quod primo obtutu sane mirum esse nobis videtur, multo facilius intelligemus et concedemus. Neque igitur dubito, quin Aristophanes studio et privato quodam consilio, scilicet ut se ipse dissimulans Callistratum

poetam esse simularet, parabasin composuerit. Nam quin illa verba:

διαβαλλόμενος δ' ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐν Ἀθηναίοις ταχυβούλοις,
ὡς κωμῳδεῖ τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τὸν δῆμον καθυβρίζει

ad caussam a Cleone intentam referenda sint, dubitari non potest, quapropter de Callistrato hoc loco agi manifestum est.

Atque paullo post quam populi saluti et commodis se semper in comoediis suis consuluisse gloriatus est, pergit his versibus conclamatis:

τοιγάρτοι νῦν ἐκ τῶν πόλεων τὸν φόρον ὑμῖν ἀπάγοντες
ἥξουσιν, ἰδεῖν ἐπιθυμοῦντες τὸν ποιητὴν τὸν ἄριστον,
ὅστις παρεκινδύνευσ' εἰπεῖν ἐν Ἀθηναίοις τὰ δίκαια.
οὕτω δ' αὐτοῦ περὶ τῆς τόλμης ἤδη πόρρω κλέος ἥκει,
ὅτε καὶ βασιλεύς, Λακεδαιμονίων τὴν πρεσβείαν βασανίζων,
ἠρώτησεν πρῶτα μὲν αὐτούς, πότεροι ταῖς ναυσὶ κρατοῦσιν·
εἶτα δὲ τοῦτον τὸν ποιητὴν ποτέρους εἴποι κακὰ πολλά·
τούτους γὰρ ἔφη τοὺς ἀνθρώπους πολὺ βελτίους γεγενῆσθαι
κἂν τῷ πολέμῳ πολὺ νικήσειν, τοῦτον ξύμβουλον ἔχοντας.
διὰ ταῦθ' ὑμᾶς Λακεδαιμόνιοι τὴν εἰρήνην προκαλοῦνται
καὶ τὴν Αἴγιναν ἀπαιτοῦσιν· καὶ τῆς νήσου μὲν ἐκείνης
οὐ φροντίζουσ', ἀλλ' ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν ἀφέλωνται.
ἀλλ' ὑμεῖς τοι μή ποτ' ἀφῆθ'· ὡς κωμῳδήσει τὰ δίκαια.

Quod de rege Persarum poeta fabulatur, mea sententia merus iocus est, qui utrum opportunus sit et facetus necne tecum ipse deliberes; mihi res esto cum extremis versibus, in quibus de Aegina verba fiunt eaque satis obscura. Sed

etiamsi obscura sunt primo obtutu, tamen ad Callistratum haec verba referenda esse certum est. Nam primum necesse est, si quidem ego aliquid video, in eadem parabasi semper de eodem poeta recitari; tum vero, cum Callistratum Acharnenses, quasi sua esset comoedia, docuisse constet, ex rebus ipsis et ratione scaenica necessario consequens est, ubicumque de poeta vel de chori magistro verba fiunt, tantummodo Callistratum intelligi posse. Consulto hoc tam saepe tamque graviter moneo, quia multi, quamquam apertum est et manifestum, modo rationem scaenicam perspectam habeas, tamen id intelligere nolunt.

Sed inspiciamus veterum testimonia, ut videamus, quid de hac re memoriae proditum sit. Schol. ad Acharn. vs. 654: *ἀλλ' ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν* (adde *ἀφέλωνται*): *ἐγγὺς αὐτῶν λάβωσιν. ἐντεῦθεν τινὲς νομίζουσιν ἐν Αἰγίνῃ τὰς κωμῳδίας ποιεῖν τὸν Ἀριστοφάνην διὰ τὸ ἐπενηνοχέναι αὐτόν* — videtur mihi lacuna esse — *ἀλλ' ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν ἀφέλωνται τὴν Αἴγιναν, οὐχ ὑμᾶς. ταῖς ἀληθείαις εἷς ἦν τῶν ἐν τῇ νήσῳ κληρουχησάντων. οὐδὲν δὲ ἐκώλυε καὶ ἑτέρωθι συγγράφειν, εἰ ὑπὸ Λακεδαιμονίους ἡ νῆσος ἐγεγόνει.*

ἄλλως. οὐδεὶς ἱστόρηκεν, ὡς ἐν Αἰγίνῃ κέκτηταί τι Ἀριστοφάνης, ἀλλ' ἔοικε ταῦτα περὶ Καλλιστράτου λέγεσθαι, ὃς κεκληρούχηκεν ἐν Αἰγίνῃ μετὰ τὴν ἀνάστασιν Αἰγινητῶν ὑπὸ Ἀθηναίων.

En habemus duas duorum grammaticorum sententias, qui non aliter inter se discrepant ac nostrae aetatis viri docti. Ego utri fidem tribuam, non dubito, ei scilicet, qui de Callistrato haec dicta esse putabat, atque ab hoc grammatico verum traditum esse pro certo habeo. Videtur enim veteres libros evolvisse, in quibus Callistratum, non Aristophanem, colonum Atticum in insula Aegina fuisse scriptum invenit. Etiam libentius huic grammatico assentiemur, si reputabimus inter colonos praediola satis parva distribui atque colonos ipsos e civibus pauperibus et inopibus eligi ius fuisse, quare iam per se probabilius est Callistratum colonum fuisse, cum Aristophanes sine dubio in divitibus numerandus sit; Callistratum vero, quippe qui alienas fabulas doceret, hominem pauperem fuisse sane licet suspicari.

Alios multos tamen de Aristophane cogitasse negari non potest, neque vero ego id miror. Posteris enim temporibus, quod iam semel monui, Callistrati memoria evanescebat, et grammatici, qui Aristophaneas comoedias interpretabantur, ad Aristophanem omnia referebant. Hanc opinionem in altera scholii parte proditam videmus. Et minime perturbor, quod schol. Clark. Plat. Apol. pag. 19 C apud Theogenem legisse se dicit Aristophanem colonum Atticum Aeginae fuisse: *κατεκλήρωσε* (*κατεκληρούχησε* Bergk., *κατεκληρώσατο* Müller-Strüb.) *δὲ καὶ τὴν Αἴγιναν, ὡς Θεογένης φησὶν ἐν τῷ περὶ Αἰγίνης*[1]). Quis vero hic Theogenes aut qua aetate fuerit nemo scit; Fritzschius quidem hominem gravissimum eum fuisse in Quaest. Arist. tom. I. pag. 313 autumat, quod privata haud dubie traditione accepit. At si revera librum de Aegina scripsit Theogenes nescio quis, eum ex Acharnensium parabasi sua de Aristophane temere colligentem in miserum errorem incidisse manifestum est.

Sed quaerimus quidnam haec parabaseos verba sibi velint et quomodo interpretanda sint. Quid poeta studeat, perspicuum esse mihi videtur: ioco facetiisque animos civium sibi propitios reddere cupit. Nam cum Cleonis iniuriis in capitis periculo versatus esset, Atheniensibus probare studet, quam male sibi ipsi consulant, si poetam clarissimum, cuius fama iam ad regem Persarum pervenerit, auctoritate sua non tueantur. Itaque totus hic parabaseos locus, ut apertis verbis dicam, lasciva est et perspicua captatio benevolentiae populi Atheniensis, cuius auxilium poeta contra Cleonis infestas machinationes, si quas denuo paraturus sit, implorat, non palam quidem et aperte, sed clam et satis tecte, imagine usus Aeginae et Lacedaemoniorum. Nam sive his insignem poetam cives permittunt sive Cleonis odio condonant, eadem res est: male sibi prospiciunt eum deserentes, cui salus civium omnium maxime curae est: hoc tertium est, ut ita dicam, comparationis. Proinde poetam

ὑμεῖς τοι μή ποτ᾽ ἀφῆθ᾽· ὡς κωμῳδήσει τὰ δίκαια.

---

[1]) Sumo quidem hanc, quam diximus, loci sententiam esse; nam locutio illa: *κατεκλήρωσε δὲ καὶ τὴν Αἴγιναν* balbutientis est, nisi forte compilatori aut librario alicui culpa attribuenda est.

Profecto haec omnia ex Callistrati sententia accipienda sunt, nam de hoc coryphaeum loquentem fecit Aristophanes. Illud quidem, quod cives rogat, postea, si forte e re erat, in se ipse Aristophanes convertere poterat. Nam ubi ipse docet, succedit quasi in stationem Callistrati, et valent tum in eum quae antea in Callistratum. Itaque laudes illae permultae, cum propter Aristophaneas fabulas Callistratus eis elatus esset, ipsae etiam ad Aristophanem converti necesse erat, cum poeta suo nomine praefixo has fabulas edebat. Quare omnino ingenio vere Aristophaneo hanc parabasin compositam esse non potest negari.

Sed quid de Aegina iudicamus? Qui fieri potuit, ut una cum insula poeta quoque Atheniensibus eriperetur? Nostrae aetatis viri docti, qui hanc quaestionem instituerunt, sive Aristophanem sive Callistratum hoc loco intelligendum esse censuerunt, semper ita rem expediverunt, ut grammaticos sequentes hunc aut illum colonum Atticum in Aegina insula fuisse statuerent. Constat enim (cf. Thuc. II. 27) Athenienses anno 431 Aeginetis expulsis praedia insulae inter colonos Atticos distribuisse, in quorum numero Callistratum fuisse ipse ex loco Aristophaneo, de quo agimus, certo colligo. Verum quidem est, etiamsi ita rem se habuisse statuimus, difficultates quasdam accurate et diligenter interpretantibus obstare, quas difficultates primus palam detexit Müller Strübingensis. Contendit enim hic vir doctus, atque id recte quidem, si Aegina Lacedaemoniis cessa esset, colonos Atticos ad unum omnes Athenas redituros fuisse, neque umquam Lacedaemoniis hoc modo contingere potuisse, ut hostibus clarum illum poetam eriperent. Itaque ipse coniecit Callistratum iam ante quam Athenienses Aeginetas expulissent praedium in insula habuisse, quod Lacedaemonii, si Athenas non migrare animum induxisset, salvum ei retinuissent. Ingeniose certe vir doctus hoc excogitavit neque vero sibi ipsum satisfecisse palam professus est. Hoc autem, ut opinor, remansit ei dubitationis, quod civem Atticum, etiamsi suum proprium praedium amittere opus fuisset, tamen Athenas rediturum fuisse sibi ipse non poterat negare aut dissimulare. Atque fortasse id ipsum fieri vix potuisse ei visum est, ut civis Atheniensis inter Aeginetas, quippe qui inimicissimi

essent Atheniensium, bona sibi compararet. Itaque ne mihi quidem satisfecit, praesertim cum rem tam implicatam fuisse credere non possim. Proinde retineamus simplicem interpretationem. Callistratus colonus fuit Aeginae; id sciebat Aristophanes et hac re contentus illa alia, prout e re erant, sibi ipse finxit. Qua in re nimia cum cura aut diligentia comicum poetam egisse non debemus putare. Nam etiamsi insula Aeginetis reddita esset, spem Lacedaemonios tamen decepturam fuisse, cum poeta colonus Athenas rediisset, iam bene perspexit schol. ad Acharn. vs. 654: *οὐδὲν δὲ ἐκώλυε καὶ ἑτέρωθι συγγράφειν, εἰ ὑπὸ Λακεδαιμονίους ἡ νῆσος ἐγεγόνει.* Sed eiusmodi subtilitates nec comicus poeta respiciebat nec laetus populus tale aliquid in theatro laborabat. Et credemus amabo revera tum Lacedaemonios pacem Atheniensibus obtulisse et Aeginam repetivisse? Attamen haec comici fictio sane potest tolerari atque etiam intelligi, cum inde ab initio belli Peloponnesiaci Lacedaemonios hanc postulationem numquam abiecisse consentaneum sit. Neque vero licet certas de pace deliberationes cogitare, cum tunc temporis de pace actum non sit. Verba autem usque ad annum 431 revocanda esse, quod A. Müller et W. Ribbeck coniecerunt (in editt. ad vs. 653), non est credibile, cum nimis longum temporis spatium intersit, quamquam hoc anno paullo ante belli principium Aeginam a Lacedaemoniis repetitam esse Thucydides memoriae prodidit[1]). Neque Mülleri Strübingensis opinio probari potest, qui (Ar. pag. 574 ann.) ad annum 430 Aristophanis verba retulit (cf. Thuc. II. 59, 2). At ne opus quidem est certa definitione, cum tale aliquid omni tempore ab Atheniensibus bene intelligeretur[2]).

Itaque ut breviter rem comprehendamus, Callistratum propter Babylonios accusatum esse, Callistratum ubique in Acharnensibus intelligendum esse probavimus. Verum opus est ad extremum paucis refellere novam quandam opinionem, quam nuper protulit Hermannus Lübke l. l. pag. 16. Negavit

---

[1]) I. 139, 1: *ὕστερον δὲ φοιτῶντες παρ' Ἀθηναίους Ποτειδαίας τε ἀπανίστασθαι ἐκέλευον καὶ Αἴγιναν αὐτόνομον ἀφιέναι.*

[2]) De chori versibus 300 sq. postea demum, cum ad Equites ventum erit, exponemus.

omnino propter ipsam Babyloniorum fabulam Aristophanem — potius Callistratum — in ius vocari potuisse: maiestatis poetam accusatum esse a Cleone irato, quod ipse illa fabula calumniis obrutus esset. „Miserrimum enim, vir doctus inquit, Atheniensium ius quod dicunt publicum fuisset, si fabula quadam ab eo qui ludis praeerat accepta et ad certamen admissa, si quid atrocius in rempublicam dictum videretur, poetae aut ei qui ab archonte chorum nanctus erat propter ipsam fabulam litem intendere licuisset. Immo archon simulatque fabulam probavit, omne rei periculum subiit. Itaque Cleoni iniuriam sibi illatam ulturo aliud undecumque crimen quaerendum erat, quod ad confirmandum illa fabula uti poterat. Licebat igitur Cleoni per *εἰσαγγελίαν* poetam *ξυνωμοσίας* accusare, quoque facilius iudicibus persuaderet Aristophanem societatis ad rempublicam evertendam participem esse, non nullos Babyloniorum locos eosdemque acerrimos afferre. Ac revera Cleonem hac via ad ulciscendum poetam ingressum esse et scholiastes (sc. ad vs. 378): *καὶ διὰ τοῦτο ὀργισθεὶς ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας, ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ταῦτα πεποιηκότα* et ipsius Aristophanis versus satis demonstrant.“ Immo non demonstrant, ut ab extremis verbis ordiar, sed redarguunt hanc viri docti opinionem. Neglexit enim inprimis illud *ξένων παρόντων,* quod tam graviter poeta et scholiastes premunt; tum vero ex omnibus Acharnensium verbis, quae de hac caussa facta sunt, certo liquet ob ipsam fabulam litem intentam esse, maxime quidem, ut alios omittam, ex vs. 377 sqq.:

αὐτός τ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἅπαθον
ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν· κτλ.

Sed ne scholiastae quidem auctoritate Lübkius niti debuit, cum et hunc idem sensisse quod nos ex verbis eius satis appareat; nam *διὰ τοῦτο,* inquit, *ὀργισθεὶς ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας,* h. e. *διὰ τὸ κακῶς λέγειν καὶ κωμῳδεῖν*; et: *ὡς εἰς ὕβριν . . . ταῦτα πεποιηκότα,* scilicet *τὸ κωμῳδεῖν.* Atque prorsus omisit vir doctus, quae annotavit ad vs. 503: *ξένων παρόντων: διὰ τὸ ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις πολλῶν παρόντων ξένων εἰρηκέναι κατὰ πολλῶν τὸν Ἀριστοφάνην. διὸ καὶ κατηγορήθη ὑπὸ τοῦ*

Κλέωνος. Itaque propter ipsam comoediam caussa acta est. Adde quod *ξυνωμοσίας* Aristophanem vel Callistratum accusatum esse nihil traditum est.

Quae cum ita sint neque ullo modo negari possit Callistratum ob ipsam fabulam in ius vocatum esse, necessario sequitur, ut archon, qui choros dabat, censura scaenica, qualis est nostra aetate, non usus sit, sed nisi ingenium poetae et tenorem virtutemque fabulae nihil respexerit. Etenim si tali censura usus esset, Callistrato Babylonios docturo chorum non dedisset; si tamen concessisset, archon ipse Cleoni petendus erat, non Callistratus, quippe qui choro concesso nihil commisisset. Itaque quoniam poenae repetitae sunt non ab archonte, sed a Callistrato, illum censura scaenica usum non esse liquide apparet. Neque id mirum est, cum illis temporibus comicorum licentia nulla lege aut vinculo coercita fuerit. Poetarum ipsorum erat saluti suae prospicere et cavere iniurias, accusationes, capitis pericula. Itaque Lübkii opinio, quamquam alia vir doctus protulit multa neque spernenda, reicienda est.

Atqui sunt, qui etiam Aristophanem a Cleone caussa petitum et vexatum esse dicant, atque nituntur hi viri docti testimoniis grammaticorum, qui poetam a Cleone crimine peregrinitatis accusatum esse tradiderunt. Ei vero, qui primam quoque caussam, qua Callistratum petitum esse evicimus, contra Aristophanem ipsum intentam esse perperam contendunt, poetam iterum novis machinationibus ab inimico vexatum esse sibi persuaserunt. In horum numero sunt Th. Bergk ap. Mein. fr. II. pag. 934 et A. Müller in edit. Acharn. pag. XIII. Sed Cleonem, postquam prima accusatione nihil vel fere nihil contra Aristophanem — ex Bergkii et Mülleri sententia — effecit, statim alteram litem contra eundem contestatum esse putabimus? Nam etiam hanc caussam ante Acharnenses dictam esse illi arbitrantur. Equidem Cleonem tam imprudenter fecisse credere non possum, cum dignitati auctoritatique suae minime consuluisset, ab omnibus potius ludibrio habitus esset, si eo processisset vecordiae et ultionis, ut eum, qui paullo ante senatorum suffragiis ingenti crimine liberatus erat, — nam etsi fortasse parva pecunia multatus erat, tamen tanto crimine, quo Cleon eum aspergebat,

absolutus erat — denuo in ius vocaret, tali praesertim ratione dolosa.

At vero non bis poetam postulatum esse, sed altera caussa Callistratum, altera, peregrinitatis scilicet, Aristophanem reum factum esse alii dicunt. Qui viri docti nobiscum consentiunt ob Babylonios solum Callistratum accusari potuisse; Cleonem vero hac re non contentum etiam verum poetam in ius vocasse opinantur. Hanc sententiam, quam Od. Müller et Th. Kock ll. coll. primi protulerunt, sibi arripuit H. Schrader et in Philol. vol. 36. pag. 385 sqq. propria disputatione probare studuit. Quod ut efficeret, viam intravit, quae quam maxime improbanda est. Acharnensium enim parabasin Callistratum inter et Aristophanem ita distribuit, ut *ὁ διδάσκαλος* Callistratus sit, *ὁ ποιητής* Aristophanes. Illos autem versus, in quibus Aeginae mentio fit, ad caussam peregrinitatis retulit. Quae ratio prorsus repudianda est; nam incredibile esse in eadem parabasi de duobus poetis verba fieri, quod cum ratione scaenica pugnat quam vehementissime, iam supra monui[1]).

Atque valde miror Droysenum, virum doctissimum, simile aliquid de hac parabasi statuisse (in vers. com. Arist. edit. III. vol. I. pag. 6). Nam quamquam in universum non dubitat, quin Callistratus intelligendus sit, tamen, quod inde a versu 659 parabaseos subito prima persona posita sit pro tertia in versibus antecedentibus:

πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω
καὶ πᾶν ἐπ᾽ ἐμοὶ τεκταινέσθω.
τὸ γὰρ εὖ μετ᾽ ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον
ξύμμαχον ἔσται, κοὐ μή ποθ᾽ ἁλῶ
περὶ τὴν πόλιν ὢν ὥσπερ ἐκεῖνος
δειλὸς καὶ λακαταπύγων

hos extremos versus non posse de Callistrato recitatos esse sibi persuasit, sed potius de Aristophane atque non solum de Aristophane, sed etiam ab Aristophane, qui chori princeps parabasin ipse pronuntiasset. De distributione idem iudico

[1]) Similiter iam Kockius (De Phil. et Call. p. 21 sqq.) parabasin in duas partes dispescuit, de quo conamine non secus iudicandum est atque de aliis eiusmodi.

quod de Schraderi opinione indicavi. Aristophanem autem
ipsum coryphaeum fuisse numquam credam, quia mea sen-
tentia, quod saepius dixi, tale aliquid a poetae ingenio longe
aberat. Nihil vero in personarum vice offendendum esse
Pacis parabasi probatur et confirmatur, in qua eandem vicem
cernimus (cf. vs. 754), quamquam omnia de eodem Aristo-
phane recitantur. Ceterum coryphaeos prima persona non
raro usos esse, quasi ipsi poetae essent, praeterea docemur
Nubium parabasi (vs. 518 sqq.) et Vesparum vs. 1284 sqq.
et fragmentis non nullis.

Itaque cum de Aristophane nusquam cogitandum sit in
Acharnensium parabasi, sed omnia, quod iam satis constat,
ad Callistratum spectent, Aristophanem a Cleone post Baby-
lonios peregrinitatis accusatum esse argumentis ex ipsis
Acharnensibus petitis probari non potest. Restant igitur sola
veterum testimonia, quae tandem licet ipsa proferre. Atque
primum schol. ad Acharn. vs. 378, postquam de caussa
propter Babylonios intenta et de Cleonis ira exposuit, pergit
his verbis: *καὶ ξενίας δὲ αὐτὸν ἐγράψατο καὶ εἰς ἀγῶνα ἐνέ-*
βαλεν. Tum in Vit. Arist. haec legimus: *διήχθρευσε δὲ αὐτῷ*
ὁ Ἀριστοφάνης, ἐπειδὴ ξενίας κατ᾽ αὐτοῦ γραφὴν ἔθετο, [*καί*
delevit Bergk.] *ὅτι ἐν δράματι αὐτοῦ Βαβυλωνίοις διέβαλε*
τῶν Ἀθηναίων τὰς κληρωτὰς ἀρχὰς παρόντων ξένων. ὡς
ξένον δὲ αὐτὸν ἔλεγε παρόσον οἱ μὲν αὐτόν φασιν εἶναι Ῥόδιον
ἀπὸ Λίνδου, οἱ δὲ Αἰγινήτην, στοχαζόμενοι ἐκ τοῦ πλεῖστον
χρόνον τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι αὐτόθι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο
ἐκεῖσε. κατὰ τινὰς δέ, ὡς ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Φίλιππος
Αἰγινήτης. ἀπολυθῆναι δὲ αὐτὸν εἰπόντα ἀστείως ἐκ τοῦ
Ὁμήρου ταῦτα·

> *μήτηρ μέν τέ μέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε*
> *οὐκ οἶδ᾽· οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.*

δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε, καὶ οὕτω
φανερὸς κατασταθεὶς πολίτης κατεκράτησε τοῦ Κλέωνος. ὅθεν
φησίν·

> *αὐτὸς δ᾽ ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἅττ᾽ ἔπαθον*
> *ἐπίσταμαι δὴ καὶ τὰ ἑξῆς.*

Ut peregrinitatis caussa post Babylonios acta sit, id quod
Schrader contendit, neque e scholio neque e Vita certo con-
sequens est. Nam scholiastes, quoniam in explicanda Cleonis

cum poeta inimicitia versabatur, sine dubio quaecumque de hac inimicitia acceperat hoc loco narravit, quod mea quidem sententia ipsius verba arguunt; scholiastas vero tale aliquid saepe ac libenter fecisse satis notum est. Atque quam fidem quaeso ei omnino habere debemus, qui tam manifesto erravit, cum de Aristophane narraret, quae ad Callistratum pertinebant? Quam ob rem peregrinitatis caussam post Babylonios actam esse non est cur credamus. Atque ne Vitae quidem scriptor de tempore, quo haec caussa ab Aristophane dicta sit, credibile quicquam praebet; ego quidem in verbis eius nihil eiusmodi invenire possum. Nam quod locum illum Acharnensium, quem ad caussam propter Babylonios actam spectare constat, ut documentum affert, hanc caussam videtur prorsus commiscuisse cum crimine peregrinitatis. Quare recte, ut opinor, Bergkius illud *καί*, quod uncis saepsimus, delevit; nam servata hac coniunctione verba inepta sunt. Ergo in duplicem errorem raptus est: nam primum illam propter Babylonios *εἰσαγγελίαν* plane omisit, cum peregrinitatis caussam pro ea substitueret; tum vero Aristophanem reum fuisse ex Acharnensibus perperam conclusit. Totam igitur rem grammaticus adeo confudit, ut verba eius nulla fide digna esse possint; neque vero ipsi, sed traditioni, quam confusam accepit, culpa attribuenda est. Et in illo quoque vel maxime offendendum est, quod iterum atque etiam tertium eadem caussa poeta petitus esse fertur idque ipsum ante Acharnenses. Profecto tali confusione, qualis in tota hac traditione patet, crimen peregrinitatis non probatur.

Quae cum ita sint, fuerunt, quibus hanc litem post Equites demum a Cleone contra poetam audacem intentam esse probabilius videretur, veluti Rankio pag. XXIV ap. Mein., Peterseno l. l. pag. 656, aliis. Atque si revera Aristophanes tali accusatione vexatus est, hanc sententiam multo probabiliorem esse libenter concedo, cum post Equitum actionem Aristophanes in omnium ore esset, quippe qui ipse hanc acerbam et mordacem comoediam in scaenam induxisset, et cum Cleonem tantas iniurias ultum esse sane credibile sit. Neque vero, ut tandem aliquando quid ipse de hoc peregrinitatis crimine sentiam claris verbis dicam, hanc caussam umquam actam, sed prorsus commenticiam esse cum

Müllero Strübingensi consentio. Nam si ea, quae de hac caussa prodita sunt, omnia mecum reputo, facere non possum, quin in hanc sententiam discedam. Verum quidem est saepissime Athenis tales accusationes a sycophantis, qua erant audacia et calliditate animi, intentas esse: Cleonem vero ad tantam vecordiam progressum esse, ut sycophantas contra Aristophanem subornare auderet, plane incredibile est. Nihil se perficere posse contra comicorum effrenatam petulantiam caussa Callistrati edoctus erat, atque cum nullis legibus tunc temporis comoediae libertas coercita esset, omnia admittere coactus erat. Quid? Cum comicum ulcisci non posset, civem aggressus est? Sed Cleonem quaeso ita delirasse putabimus, ut Aristophanem, populi delicias, accusatione peteret, quae quam vana, quam nulla esset, ne ipse quidem ignorabat? Omnem auctoritatem abiecisset, summo ludibrio ab Atheniensibus habitus esset, qui Equitum comoediae plauserant poetamque primo pretio ornaverant.

Nam quin Aristophanes verus civis Atheniensis fuerit, nemo potest dubitare, etiamsi breviter tantum in transitu comoedias eius percensuerit. Etenim si non Atheniensis fuisset, etsi summo ingenio fuisset praeditus, ne unam quidem Aristophaneam comoediam composuisset. Iam si consideramus, quam singulari arte Aristophanes linguam Atticam tractaverit, si reputamus, quanta licentia usus sit in castigandis rei publicae legibus institutisque et in perstringendis viris insignissimis, concedendum est hoc homini adventicio nemini — atque ne filio quidem hominis adventicii, si Aristophanem ipsum iam Athenis natum esse conceditur — permitti, illud ab eodem numquam perfici potuisse. Itaque sine ulla dubitatione accipimus Vitae principium: *Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδοποιὸς πατρὸς μὲν ἦν Φιλίππου, τὸ δὲ γένος Ἀθηναῖος, τῶν δήμων Κυδαθηναιεύς, Πανδιονίδος φυλῆς*: nam hoc testimonium verum esse per se ipsum testatur. Unde enim terrarum talia fingi potuerunt, urbs, pagus, tribus? Immo a bono fonte haec hausta esse e subtilitate et proprietate verborum dilucide apparet. Atque etiam nescio an alicuius momenti facere liceat, quod poeta loco quodam Pacis, ubi tribus quaelibet nominari poterat, suam ipsius elegit, vs. 1183:

εἶτα προσιὰς πρὸς τὸν ἀνδριάντα τὸν Πανδίονος
εἶδεν αὐτόν κτλ.

Civem Atheniensem vocat Aristophanem etiam Anon. *περὶ κωμ.* III: *Ἀριστοφάνης Φιλίππου Ἀθηναῖος*, neque aliorum ineptias respexit.

Itaque quoniam verus civis Atheniensis Aristophanes fuit, quibusnam argumentis nisus et confisus Cleon peregrinitatis reum eum fecisse fertur? *Ὡς ξένον δὲ αὐτὸν ἔλεγε,* Vitae scriptor inquit, *παρόσον οἱ μὲν αὐτόν φασιν εἶναι Ῥόδιον ἀπὸ Λίνδου, οἱ δὲ Αἰγινήτην, στοχαζόμενοι ἐκ τοῦ πλεῖστον χρόνον τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι αὐτόθι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο ἐκεῖσε. κατὰ τινὰς δέ, ὡς ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Φίλιππος Αἰγινήτης.* Quid Vitae scriptor de his opinionibus senserit, ex eo licet concludere, quod initio Aristophanem civem Atheniensem fuisse expressis verbis dixit. Et nos ex animo ei assentimur. Nam omnia ficta et commenta aut manifesto errore orta esse ad intelligendum non est difficile. Quod enim de Aegina protulerunt, ex Acharnensium parabasi perperam collegerunt, quem errorem iam invenimus in schol. ad Acharn. vs. 654: *ἐντεῦθεν τινὲς νομίζουσιν ἐν Αἰγίνῃ τὰς κωμῳδίας ποιεῖν τὸν Ἀριστοφάνην, διὰ τὸ ἐπενηνοχέναι αὐτόν· . . . ταῖς ἀληθείαις εἰς ἣν τῶν ἐν τῇ νήσῳ κληρουχησάντων.* Iam opinionum varietate certo probatur nihil de hac re traditum fuisse, sed grammaticos alios aliud ad arbitrium suspicatos esse. Itaque alii patrem alii filium Aeginetam fuisse dixerunt; alii comoedias a poeta in insula scriptas esse coniecerunt; alii colonum eum fuisse putaverunt.

Sed etiam Rhodium hominem Aristophanem fuisse non deerant, qui traderent, quod ne quis credat non vereor. Nam et de Rhodo variant testes, cum alii Lindum, quae in Vita occurrit, alii Camirum patriam Aristophanis fuisse prodant. Legimus enim haec apud Suidam: *Ἀριστοφάνης, Ῥόδιος ἤτοι Λίνδιος· οἱ δὲ Αἰγύπτιον ἔφασαν· οἱ δὲ Καμειρέα· θέσει δὲ Ἀθηναῖος· ἐπολιτογραφήθη γὰρ παρ᾽ αὐτοῖς κτλ.* Hoc quidem, quod civitate poetam donatum esse Suidas scribit, a grammatico satis recenti commentum esse, ut discrepantiam memoriae tolleret, manifestum est. Quare haec verba magni momenti non facio. Aegyptium vero, scilicet Naucrati ortum, Aristophanem fuisse tradidit etiam Athe-

naeus VI. pag. 229 E Heliodorum Atheniensem periegetam sequens; scribit autem sic: *Ἀριστοφάνης δ' ὁ κωμῳδιοποιός, ὅν φησιν Ἡλιόδωρος ὁ Ἀθηναῖος ἐν τοῖς περὶ ἀκροπόλεως . . . Ναυκρατίτην εἶναι γένος κτλ.* Athenaeus quamvis in universum fide dignus sit, hac tamen in re vereor ne patriae amore perductus sibi persuaserit, quod, ni ipse Naucratites fuisset, sibi non persuasisset. Itaque Heliodori testimonium libenter in libro suo posuit, cui testimonio dubito an ne ipse quidem fidem habuerit. Id quidem verum est Graecum Aristophanem, si ex Aegypto revera ortus erat, Naucratitam fuisse, cum sola Naucratis illis temporibus a Graecis incoleretur. Neque vero Graecum hominem Naucrati ortum, sed verum atque fuscum Niligenam poetam fuisse alii crediderunt et prodiderunt. Haec certe sententia fuit auctorum, quibus Suidas usus est, cum scriberet: *οἱ δὲ Αἰγύπτιον ἔφασαν*; atque manifesto eandem expressam videmus in schol. ad Nub. vs. 272, ubi fatuus aliquis grammaticus propterea Nilum a poeta memoratum esse fabulatur, ut tecte originem suam confiteretur: *ἦν γάρ,* inquit, *τὸ γένος Αἰγύπτιος.* Ex hac memoria postea demum alii, velut Heliodorus, collegerunt Aristophanem Naucratitam fuisse. Illa autem prisca et principalis memoria, quo absurdior est, eo facilius viam nobis munit, qua ad cognoscendam et detegendam horum commentorum originem uti licet.

Qui tandem fieri potuit, ut tam inepta tamque incredibilia de Aristophane proderentur? Intelligemus hoc, si comicum poetam Aristophanem fuisse recordabimur, qui ut ipse alios comicos ludibrio habuit, ita a poetis aemulis et inimicis perstrictus est, quin etiam omnium sine dubio maxime, cum comicorum princeps summa laude floreret. In aliorum igitur comoediis grammatici talia de Aristophane legerunt, vera esse crediderunt, in libellis et scholiis tradiderunt.

Peregrinum, Phrygem, Lydum, Paphlagonem, denique servum aliquem vocare, cui maledicere propositum erat, paene sollemne fuit Athenis, ut apud alios populos alia convicia usitata sunt. Itaque Aristophanem quoque a comicis inimicis, qui laudi gloriaeque eius invidebant, eiusmodi conviciis convulsum et sugillatum esse sane probabile est; nam saepius talia a poetis comicis in aemulos iactata esse scholiastes ad

Ran. vs. 13 docet, qui Phrynichum comicum ut peregrinum perstrictum esse narrat: *κωμῳδεῖται δὲ καὶ ὡς ξένος* (sc. *ὁ Φρύνιχος*). Atque in fragmento quodam Eupolideo peregrini poetae expressis verbis nominantur, quod ad similia convicia neque non ad Aristophanem quoque spectare satis probabile est (Mein. fr. II. pag. 546. Kock. fr. 357):

ἀλλ' ἀκούετ', ὦ θεαταί, τἀμὰ καὶ ξυνίετε
ῥήματ'· εὐθὺ γὰρ πρὸς ὑμᾶς πρῶτον ἀπολογήσομαι.
(Lacunam statuo cum Kockio).
ὅ τι παθόντες τοὺς ξένους μὲν λέγετε ποιητὰς σοφούς,
ἢν δέ τις τῶν ἐνθάδ' αὐτοῦ μηδὲ ἓν χεῖρον φρονῶν
ἐπιτιθῆται τῇ ποιήσει, πάνυ δοκεῖ κακῶς φρονεῖν,
μαίνεταί τε καὶ παραρρεῖ τῶν φρενῶν τῷ σῷ λόγῳ.
ἀλλ' ἐμοὶ πείθεσθε πάντως. μεταβαλόντες τοὺς τρόπους
μὴ φθονεῖθ' ὅταν τις ἡμῶν μουσικῇ χαίρῃ νέων
(*συνών* Kock.)

Revera autem eiusmodi convicia in vulgus nota et usitata Athenis fuisse apparet, quod et alii cives hoc modo a comicis perstringebantur, velut Hyperbolus, quem Platon peregrinum et Lydum, Polyzelus Phrygem appellavit (cf. Kock. fr. I. pag. 643, 166. 167. pag. 645, 170. pag. 791, 5). Et exstant similia exempla multa, neque solum apud comicos, verum etiam apud oratores aliosque scriptores.

Neque veri dissimile esse mihi videtur grammaticos, si talia maledicta in Aristophanem quoque iactata in comoediis inveniebant, peregrinitatis caussam ex his commentos esse, cum ex Acharnensium parabasi Aristophanem Aeginetam fuisse falso colligerent atque litem illam in Callistratum intentam ad poetam referrent, cuius opinionis error in Vita nobis occurrit. Aut etiam, quod vel maxime credibile est, in comoedia aliqua de hac caussa legerunt. Quid? Nonne fieri potuit, ut comicus poeta nescio quis, post Equites fortasse, Cleonem hortaretur, ut tantas comici iniurias non inultas pateretur? Nonne, ut etiam magis coriarium vulgi principem illuderet, acerbe et ridicule ei suadere potuit, ut insolentem poetam peregrinitatis reum faceret, ut Aegyptium, ut a servo ortum eum esse convinceret? Nam hoc quoque apud Suidam legimus s. v. *Ἀριστοφάνης: τινὲς δὲ αὐτὸν καὶ ἀπόδουλον ἱστορήκασιν.* Profecto non dubito, quin haec

omnia a comoediis poetarum aemulorum originem traxerint. Posteri vero, qua erant levitate et temeritate iudicandi, talem caussam a Cleone revera intentam esse sine ulla dubitatione crediderunt. Atque ipsius poetae auctoritate niti se posse fortasse arbitrati sunt, cum Vesp. vs. 718 Aristophanem ad se ipsum allusisse putarent; sunt autem hi versus:

ἀλλ᾽ ὁπόταν μὲν δείσωσ᾽ αὐτοί (sc. *οἱ δημαγωγοί*), *τὴν Εὔβοιαν διδόασιν*
ὑμῖν καὶ σῖτον ὑφίστανται κατὰ πεντήκοντα μεδίμνους
ποριεῖν· ἔδοσαν δ᾽ οὐπώποτέ σοι, πλὴν πρώην πέντε μεδίμνους,
καὶ ταῦτα μόλις ξενίας φεύγων ἔλαβες κατὰ χοίνικα, κριθῶν.

Et qui tandem caussa ipsa acta esse fertur? *Ἀπολυθῆναι δὲ αὐτόν*, Vitae scriptor inquit, *εἰπόντα ἀστείως ἐκ τοῦ Ὁμήρου ταῦτα·*

μήτηρ μέν τέ μέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
οὐκ οἶδ᾽· οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε, καὶ οὕτω φανερὸς κατασταθεὶς πολίτης κατεκράτησε τοῦ Κλέωνος. Iocis igitur et facetiis periculum effugit? In tam gravi caussa — nam si revera accusatus est, rem periculosissimam fuisse negari non potest — poetam sic se gessisse putabimus? Atqui narratiunculam hanc esse ingeniose et facete excogitatam iam bene intellexit Dindorfius; at ne ingeniose quidem haec fabella inventa est, cum ad peregrinitatis crimen hos versus Homericos (*α* 215 sq.) non quadrare nemo est qui non intelligat, sed potius ad caussam suppositionis (*γραφὴν ὑποβολῆς*), quod iam Rankius et Müller Strübingensis intellexerunt. Quapropter grammaticum aliquem, qui Homeri carmina diligenter haud dubie ac studiose lectitabat, hos versus de suo Aristophani tribuisse persuasum mihi est. Illa autem *δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε* quid sibi velint, prorsus non video. Nam Cleonem, postquam poeta iudicio vicit, iterum atque etiam tertium eandem caussam renovasse nullo modo credi aut cogitari potest. Itaque omnia haec grammaticorum commenta plane reicienda et repudianda sunt. Numquam Aristophanem a Cleone peregrinitatis accusatum esse quantum maxime possum contendo.

Fulcire autem hanc sententiam et confirmare licet argumentis ex ipsis Aristophanis comoediis petitis, h. e. desunt omnino argumenta, quibus a Cleone poetam reum factum esse probari potest. Aristophanem vero huius litis mentionem facturum fuisse, si revera postulatus esset, nemo negabit. At fecit fortasse, in comoedia scilicet non servata. Fieri potuit; neque vero semel hanc rem attigisse contentus fuisset: ad nauseam eam repetivisset, perstringere, convellere, irridere Cleonem, qui tam ridicula ratione usus esset, numquam destitisset: nam caussam vicisse perhibetur. Verum nihil, plane nihil de hac caussa apud Aristophanem legitur.

Atqui sunt, qui locum quendam invenisse sibi videantur, veluti Rankius pag. XXIV ap. Mein., Petersenus in Fleckeis. Ann. 85. pag. 656, Lübkius in obss. crit. pag. 17, Vesp. vs. 1284 sqq.:

εἰσί τινες οἵ μ᾽ ἔλεγον ὡς καταδιηλλάγην,
ἡνίκα Κλέων μ᾽ ὑπετάραττεν ἐπικείμενος
καί με κακίσταις ἔκνισε· κᾆθ᾽ ὅτ᾽ ἀπεδειρόμην,
οὐκτὸς ἐγέλων μέγα κεκραγότα θεώμενοι,
οὐδὲν ἄρ᾽ ἐμοῦ μέλον, ὅσον δὲ μόνον εἰδέναι,
σκωμμάτιον εἴποτέ τι θλιβόμενος ἐκβαλῶ.
ταῦτα κατιδὼν ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα·
εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.

In versu 1286 exhibui codicum R. et V. lectionem *κακίσταις*, quam misere depravatam esse et sensu et metro patet; constat enim metrum paeonibus primis; *κάκιστ᾽* autem, quod in aliis libris exaratum est, a librario aliquo e coniectura scriptum esse, quia *κακίσταις* omni sensu carebat, apparet, quod ne hoc quidem metro satisfacit. Quae cum ita sint, accuratius de hoc loco disputare opus est, cum, nisi de scriptura verborum constat, ne de sensu quidem iudicare possimus. Atque primus metrum correxit Florens Christianus *κακίαις* scribens, quam emendationem editores comprobaverunt ad unum omnes. Quod sane miror. Nam *κακία* est vitiositas, cui opponitur *ἀρετή* vel virtus; neque vero vitiositatibus quisquam tractari potest vel increpari. Quamobrem Graecum poetam, praesertim qui fuerit Aristophanes, ut ita dicam, *Ἀττικώτατος*, verbum *κνίζειν* cum *κακίαις* coniunxisse credibile esse mihi quidem non videtur. Offendit in hac voce iam Dindorfius,

qui *κακίαν* hoc loco eandem esse atque *κάκωσιν* in Thes. ling. Graec. scriberet. Verum mera haec est libido, neque ullis exemplis aut argumentis haec viri docti opinio firmatur. Primus rem perspexit Müller Strübingensis (Ar. u. d. hist. Krit. pag. 628 ann.), qui illud *κακίαις* ab Aristophane profectum esse non posse probavit. Sed quod ipse coniecit, vereor ne hoc quoque repudiandum sit; iubet enim nos scribere *κακίας,* quod ita vir doctus intelligit, ut Cleon poetae ignaviam opprobrio verterit et *γραφὴν ἀστρατείας* minitatus sit. Quid? Estne hoc consequens necessario, si Mülleri coniecturam sequimur? Minime vero, cum *κακίαν* omnino ignaviam esse verum non sit: est potius vitiositas quaelibet; praeterea tale aliquid, quod vir doctus efficere studuit, iam per se veri dissimile mihi videri vel maxime libenter fateor. Accedit, quod *κνίζειν* cum genetivo coniunctum vix ferri potest. Itaque conieci, quod et sensui aptissimum est et ad litteras traditas (*κακίσταις*) optime quadrat, scilicet *κακίσας*. Adde quod concinnitas quaedam exoritur, cum utrumque verbum, et *ὑπετάραττεν* et *ἔκνισε,* coniunctum sit cum participio. Sic igitur scribendum est:

εἰσί τινες οἵ μ᾽ ἔλεγον ὡς καταδιηλλάγην,
ἡνίκα Κλέων μ᾽ ὑπετάραττεν ἐπικείμενος
καί με κακίσας ἔκνισε κτλ.

Iam ergo, postquam verborum scriptura convenit, de sensu huius loci exponere licet. In quo accusationem cogitandam esse minime possumus concedere[1]). Bene rem iam scholiastes intellexit, cuius verba omnibus ineptiis carent, quin etiam, ut supra diximus, dignitatem quandam prae se ferunt: *ἄδηλον, πότερον τῆς Καλλιστράτου εἰς τὴν βουλὴν*

[1]) Cogitaverunt autem praeter eos, qui peregrinitatis crimen hoc loco intelligunt, veram caussam Th. Bergk ap. Mein. fr. II. p. 937, qui tertio poetam in iudicium vocatum esse ex hoc loco effecit, et Julius Richter in edit. Vesp. Berol. 1858, qui ad vs. 1286 breviter et satis audacter annotavit: „*κακίαις* (ut nunc legitur), quod *κακίας* accusatus est.“ Etiam Fritzschius nominari potest, qui in Quaest. Arist. tom. I. p. 299 sqq. hunc Vesparum locum ad caussam post Babylonios actam refert, quam caussam in Aristophanem intentam esse existimat, atque ita quidem, ut simul peregrinitatem Cleon poetae crimini daret.

εἰσαγωγῆς καὶ νῦν μιμνήσκεται, ὅτι αὐτὸν Κλέων εἰσήγαγεν, ἢ ἑτέρας κατ᾽ αὐτοῦ γενομένης Ἀριστοφάνους, καὶ μὴ εἰσαγωγῆς, ἀλλὰ ἀπειλῆς τινος, ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐμφαίνεται. ἐκεῖνά τε γὰρ ἀναπολεῖν ἀρχαιότερα ἔσται, νῦν τε ὡς περὶ αὐτοῦ λέγει. Ex animo scholiastae assentiendum est; nam si non praeoccupato iudicio versus perlegimus et percensemus, nihil in eis de postulatione inveniri concedamus necesse est. Etenim illam, qua Cleon Callistratum post Babyloniorum actionem in ius vocaverat, intelligendam non esse recte iam monuit scholiastes. Poetam vero ad crimen peregrinitatis his versibus allusisse prorsus incredibile est. Nam cum vicisse caussam et Cleonem superasse tradatur (*φανερὸς κατασταθεὶς πολίτης κατεκράτησε τοῦ Κλέωνος*), hilaritate et gaudio exsultare licuit atque *ὑβρίζειν,* non *πιθηκίζειν.* Huc accedit, quod ne uno quidem verbo caussa significatur, sed potius iurgium videtur intelligendum esse. *Κνίζειν* enim est sensu proprio radere, atque mea sententia alludit poeta hoc verbo ad Cleonem coriarium, cum pelles, antequam depsuntur, radi oporteat, ut vellere et sorde liberentur. Certe insequentibus verbis similes ludificationes insunt: *ἀποδείρειν* quidem spectat ad coriarium neque non verbo *θλίβειν* ars depsendi notatur. Itaque tractavit me, poeta inquit, proinde quasi in officina sua coriaria pellem subigeret. Vim accusandi his verbis inesse nullo argumento probabili firmatur; mihi quidem non accusationem, sed rixam notari persuasum est, cum praesertim ut nihil de liberatione ita ne de condemnatione quidem quicquam legatur. Cleoni contigit, ut poetam odiosum nescio quo modo perturbaret et compelleret, ut omissis sugillationibus aliquamdiu adularetur vel caudam iactaret popelli principi. Quo modo Aristophanes hominem popularem adulatus sit, nescimus, sed suspicari licet; atque libenter Droyseno, Kockio, Müllero Strübingensi assentior, qui in Nubium fabula poetam id egisse sibi persuaserunt. Neque vero ita multo post Aristophanes iugo excusso coriarii imperio auctoritateque se exsolvit. Qui fieri potuerit, ut Cleon poetae tantum pavorem incuteret, et qui tum factum sit, ut *ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον ἐξαπατῆσαι* posset, in Vesparum nempe comoedia, nec scimus nec divinamus, atque omnes coniecturae, cum vanae sint et inanes, repudiandae sunt.

Quae cum ita sint, ne hoc quidem Vesparum loco Aristo-
phanem a Cleone peregrinitatis reum factum esse probari
potest. Itaque postquam hoc quoque adminiculum infirmavi-
mus, totam rem commenticiam esse evicimus.

Longe hercle a Babyloniis et Acharnensibus, a quibus
profecti sumus, aberravimus et quasi per vim ad Cleonis et
Aristophanis simultates delati sumus. Neque vero poenitet
huius digressionis, si modo ad illustrandam quaestionem
obscuram aliquid contulimus. Iam licet ad propositum redire
et de proximis comoediis disputare, quae Babylonios et
Acharnenses secutae sunt.

Tribus fabulis, Daetalensibus, Babyloniis, Acharnensibus,
per Callistratum in scaenam inductis iam ipse Aristophanes
sodalium et amicorum rogatu monituque chorum petivit suo
nomine nec diutius cives de ingenio suo celavit; cf. Equ.
arg. II: *ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Στρατοκλέους ἄρχοντος δη-
μοσίᾳ εἰς Λήναια δι' αὐτοῦ τοῦ Ἀριστοφάνους κτλ.* Sed ni
fallit me opinio, alia quoque caussa accessit, qua Equitum
chorum ipse petere poeta quodammodo coactus est. Aristo-
phanem iam satis multo ante quam Equitum fabula ageretur
consilium iniisse scribendi de Cleone, qui artis suae tam
inimicus custos exstitisset, peculiarem comoediam apparet
dilucide e chori versibus Acharn. 300 sq.:

ὡς μεμίσηκά σε Κλέωνος ἔτι μᾶλλον, ὃν
κατατεμῶ τοῖσιν ἱππεῦσι καττύματα,

quibus versibus comoediam significari, quam componere poetae
in animo sit, spectatores putavisse manifestum est. Nam
ineptum fuisset, si Acharnenses carbonarii Cleonem equitibus
in soleas se consecturos esse dixissent, quod qui fieri potuerit,
nullo modo prorsus intelligitur. Adde quod Acharnenses ut
Cleon ita ipsi summa belli gerendi cupiditate flagrabant, cum
equites fere omnes pacis essent amantissimi, quam ob rem
his opitulari, illi nocere minime poterat eorum interesse.
Itaque necessario haec verba ex poetae, non ex chori sen-
tentia accipienda sunt. Callistratus autem Acharnenses, quasi
sua esset fabula, docuit; Callistratus ergo hanc novam comoe-
diam se daturum esse per chorum populo promisit. Profecto
nullo alio sensu verba intelligi poterant in theatro neque ullo
alio ab Aristophane scripta sunt, cum, quaecumque de poeta

in scaena pronuntiabantur, Callistrati nomine dicenda essent. Itaque ex hoc loco necessario sequitur, ut Aristophanes Equitum quoque fabulam Callistrato docendam tradere in animo habuerit. Callistratus vero, ubi de summa comoediae certior factus est eiusque acerbitatem legendo cognovit, memor iniuriarum, quas propter Babylonios Cleon in eum iniecerat, tantum periculum subire haud dubie gravatus est. Coactus hac retractatione et perpetuis amicorum hortationibus commotus iam suo nomine hanc fabulam dare Aristophanes animum induxit.

In parabasi non est offendendum, si forte quis hac uti velit ad refutandam sententiam, quam exposuimus. Nam Callistratum fabulam iam rudem et imperfectam legisse consentaneum est. Itaque Aristophanes, postquam ille comoediam se docturum negavit, parabasin composuit, qualem legimus.

Neque vero poetam ipsum Cleonis partes egisse putari licet. Nam quod ex vs. 230 sqq.:

καὶ μὴ δέδιθ'· οὐ γάρ ἐστιν ἐξῃκασμένος.
ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ αὐτὸν οὐδεὶς ἤθελε
τῶν σκευοποιῶν εἰκάσαι. πάντως γε μὴν
γνωσθήσεται· τὸ γὰρ θέατρον δεξιόν

grammatici collegerunt fabrum personarum neminem Cleonis personam conficere neque quemquam histrionem partes eius suscipere ausum esse, quare Aristophanem ipsum ore miniato aut faece illito has partes agere coactum esse, ineptum est oletque sapientiam scholasticam. Annotavit enim scholiastes ad vs. 230 haec: *οὐκ εἶχεν αὐτοῦ προσωπεῖον διὰ τὸ δεδοικέναι τοὺς σκευοποιοὺς καὶ μὴ θέλειν μήτε πλάττειν μήτε σχηματίζειν τὴν ὄψιν τοῦ Κλέωνος. λέγει οὖν, ὅτι μηδενὸς ὑποστάντος αὐτὸν ὑποκρίνεσθαι αὐτὸς ὁ Ἀριστοφάνης μιλτώσας ἑαυτὸν ὑπεκρίνατο, ἢ τῇ τρυγίᾳ χρίσας ἑαυτόν*; et in arg. II legimus: . . . *Ἀριστοφάνης καθίησι τὸ τῶν Ἱππέων δρᾶμα δι' αὐτοῦ, ἐπεὶ τῶν σκευοποιῶν οὐδεὶς ἐπλάσατο τὸ τοῦ Κλέωνος πρόσωπον διὰ φόβον*; atque similia exstant in Vita. Qui his fidem tribuunt, taceant malim de antiqua comoedia. Bene Kockius in editione ad vs. 230: „Aus dieser Stelle, inquit, ist nichts zu schliefsen, als dass der Schauspieler, der den Kleon spielte, keine porträtähnliche Maske trug.“ Apte, ut opinor, poeta haec verba de persona

inseruit, videlicet ut male fabricatam quasi excusaret sive, quod magis videtur, consulto distortam et in peius fictam, ita ut non iam persona, sed potius larva esset.

Iam proximo anno Aristophanes ad pristinam consuetudinem rediens Nubium fabulam alii dedit docendam, Philonidi scilicet. Quem Nubes docuisse colligere licet ex illo grammaticorum testimonio, quod legimus apud Anonymum *περὶ κωμ.* III: *τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ* (sc. *τῷ Καλλιστράτῳ*) *φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰς δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ.* Nam etsi dubitari nequit, quin non Aristophanes sibi ipse, sed grammaticus nescio quis e fabulis efficiens hanc legem poetae imposuerit, tamen, quantum cognoscere licet, recte observavisse videtur. Itaque quoniam comoedias contra Euripidem et Socratem scriptas Philonides commisisse perhibetur neque alteram Aristophanes contra Socratem composuit nisi Nubes, per Philonidem hanc doctam esse apertum est. Quod nos in didascalia Nubium nomen Philonidis non iam legimus, non debemus mirari, cum notum sit, quanta negligentia librarii in exarandis argumentis usi sint. Itaque restituenda est Nubium didascalia in hunc fere modum (cf. Nub. arg. V): *αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐν ἄστει ἐδιδάχθησαν ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου διὰ Φιλωνίδου, ὅτε Κρατῖνος μὲν ἐνίκα Πυτίνῃ, Ἀμειψίας δὲ Κόννῳ.* Atque si in hac re coniecturae locus est, oculis fortasse librarius aberravit a nomine *Ἰσάρχου* ad nomen *Φιλωνίδου*, quia utrumque in *ου* cadit, litteris, quae intercedunt, omissis. Sed alio quoque modo nescio quo verba *διὰ Φιλωνίδου* excidere potuisse concedendum est.

Comoedia autem cum cecidisset et explosa esset, molestissime id ferens poeta, qui pulcherrimam esse fabulam opinaretur, plane eam retractare et suo nomine denuo in scaenam inducere animo proposuit, fortasse sperans se ipsum facilius victoriam reportaturum esse. Neque tamen opus inchoatum *δι' ἥν ποτε αἰτίαν* confecit, quare comoedia numquam in scaena iterata est (cf. Nub. arg. VI). Nam in didascaliis de altera Nubium actione nihil exaratum fuisse expressis verbis dicit scholiastes ad Nub. vs. 549: *οὐ φέρονται αἱ διδασκαλίαι τῶν δευτέρων Νεφελῶν*; cf. ad vs. 552: *αἱ διδασκαλίαι δὲ δῆλον ὅτι τὰς διδαχθείσας* (sc. *Νεφέλας*) *φέρουσιν.*

Quae ad nos permansit Nubium comoedia est altera, quae vocatur, recensio, quae imperfecta a poeta relicta a filiis videlicet edita est.

Consilium autem fuisse poetae docendi suo ipsius nomine Nubium retractatam fabulam documento est alterius editionis parabasis (vs. 518 sqq.), in qua de se suaque prima comoedia, quam exposuerit, verba fecit, quae intelligi nullo modo prorsus potuissent, nisi ipse chorum inducere a praecone coram spectatoribus clara voce iussus esset, h. e. nisi ipse chorum petivisset. Hanc autem parabasin alterius esse recensionis et ex ipsa discimus, cum poeta spectatoribus exprobret, quod priore repulsam tulerit, et legimus in arg. VI, cuius scriptor accurate de retractatione exposuit; neque non sunt testimonio versus illi, qui de Eupolidis Maricante leguntur, quippe quae comoedia anno denique 420 data sit. Atque hi versus, si quis argumento V confisus recensionem a poeta perfectam, grammaticorum de didascaliis alteram Nubium actionem non exhibentibus testimonia nulla fide digna esse contendat, quam opinionem protulerunt Süvern (Über Arist. Wolken. Berol. 1826) et E. Brentano (Untersuch. üb. d. griech. Drama. Francf. 1871), cum ille comoediam paene non mutatam iterum in scaenam inductam esse putaret, Brentano duas fabulas prorsus diversas doctas esse opinaretur, ex quibus Byzantinorum temporibus tertia consarcinata esset, quae ad nos pervenisset: hi, inquam, de Maricante versus certo arguunt errorem grammatici, qui in arg. V alteram Nubium recensionem proximo anno Aminia archonte actam esse scripsit, cum consilium poetae pro facto haberet.

In enumerandis fabulis nunc accedimus ad quaestionem inter paucas difficilem, quae de Vesparum didascalia instituenda est. Anno enim insequenti, qui fuit annus ol. 89, 2 vel 422 a. Ch. n., fabularum servatarum acta est Vesparum comoedia, cuius haec exstat didascalia: *ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμυνίου διὰ Φιλωνίδου ἐν τῇ πόλει ὀλυμπιάδι β' ἦν, εἰς Λήναια. καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προάγωνι, Λευκῶν Πρέσβεσι γ'.* Exhibui lectionem codicis Ravennatis, quam misere corruptam et depravatam esse vel primo obtutu apertum est, neque in aliis libris verba non perdita sunt. Restituta sunt virorum doctorum sollertia in hanc formam:

ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου, ἐν τῇ πθ' ὀλυμπιάδι. δεύτερος ἦν. εἰς Λήναια. καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προάγωνι[1]), Λεύκων Πρέσβεσι τρίτος. Sed quamvis veri speciem haec verba prae se ferant, tamen magnae insunt difficultates, neque potest didascalia genuina esse. Nam si nullo adhibito interpretationis adiumento verba contemplamur, statuendum est Philonidem — quem poetam fuisse scimus — Lenaeis anni 422 et propriam comoediam commisisse Proagonem palmamque hac tulisse et Aristophanis Vespas docuisse fabulam secundo pretio ornatam; Leuconis Legatos cecidisse. Non desunt qui rem sic explicent neque dubitent, quin Philonides, quamvis propriam comoediam in certamen commiserit, tamen Aristophani etiam tum officium praestiterit[2]). Neque vero ego a me impetrare possum, ut Philonidem, etiamsi artissimo familiaritatis vinculo cum Aristophane coniunctus fuit, suam fabulam docturum amico morem gessisse credam; atque ne Aristophanem quidem pudorem tali rerum conditione Philonidi fabulam committentaverim tali rerum conditione Philonidi fabulam committendam dedisse, cum hic maiore diligentia in sua ipsius docenda vel nescius et invitus usus esset, neque crimini dandum, quia homo erat. Atque faber est suae quisque fortunae.

Sed haec comoedia primo praemio ornata est, quod, si revera fuit Philonidis, satis mirum est, cum mediocrem tantum fuisse Philonidem poetam non audaciae sit dicere; maxime vero Vespas fabulam Aristophaneam Philonideae cessisse miramur. Atque in hac re alii quoque offenderunt, qui Proagonem comoediam Philonideam fuisse cum Hillero et Lübkio consentiunt, Vesparum fabulam illa inferiorem iudicatam esse ne ipsi quidem credunt. Itaque primus Petersenus in Fleckeis. Ann. 85. pag. 662 cum Kannegiessero (Üb. d. alte kom. Bühne, pag. 270) didascaliae illud β' ἦν mutavit in ἔτει β' et ante ΛΕΥΚΩΝ syllabam ΔΕΥ decurtatam excidisse ipse coniecit; ergo scripsit et interpunxit hoc modo: ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου [διὰ Φιλωνίδου] ἐν τῇ πθ'

[1]) Praefero Προάγων (non Προαγών), qui accentus probatur testimoniis Herodiani I. 24, 1; II. 729, 7 et Arcadii p. 10, 20.

[2]) Proposuerunt hanc sententiam E. Hiller in Hermae vol. VII. p. 404 et H. Lübke in obss. crit. p. 50.

ὀλυμπιάδι ἔτει δευτέρῳ εἰς Λήναια· καὶ ἐνίκα πρῶτος· Φιλωνίδης Προάγωνι δεύτερος, Λεύκων Πρέσβεσι τρίτος. Quod verba διὰ Φιλωνίδου uncis saepsit, nunc omitto. Nuper etiam Leo in Mus. Rhenan. vol. 33. pag. 404 audacter egit cum hac didascalia, qui similiter scriberet, quamquam ne verbo quidem Peterseni coniecturam attigit: ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια· καὶ ἐνίκα πρῶτος· δεύτερος ἦν Φιλωνίδης Προάγωνι, Λεύκων Πρέσβεσι τρίτος. „Und ich bin völlig überzeugt, inquit, dass wir auf diesem mechanischen Wege eine neue Thatsache gewonnen haben: Aristophanes hat mit den Wespen nicht den zweiten, sondern den ersten Preis errungen.“ Mihi quidem non tam persuasum est quam Leoni, atque hic quoque vellem tam gloriose locutus non esset. Etenim quod in hac didascalia nomen festi positum est post notationem loci, quem poeta obtinuit, cum in aliis iudicium certaminis postea legatur, hac re equidem non perturbor, quoniam grammatici prisco ordine didascalias non scripserunt: ne duae quidem accurate inter se congruunt. Quam ob rem Leo, si verba δεύτερος ἦν suo loco reliquisset neque ad arbitrium transposuisset, melius fecisset. Profecto ego a tali 'via mechanica' prorsus abhorreo neque didascaliarum auctoritatem nisi veris et iustis caussis permotus frango aut contemno[1]).

Itaque Proagoni fabulae Philonideae succubuisse Aristophaneam ex Vesparum didascalia consequens est, quod sane mirum esse diximus. Neque tamen id volo premere, cum etiam Avium comoedia, qua nulla fere bellior aut venustior esse potuit, pusilli Amipsiae Comissatoribus[2]) inferior iudicata sit. Nubium fabula quod cecidit, certa videlicet caussa fuit: materies fuit vel argumentum comoediae, quod poeta, qui

[1]) Ne illa quidem verba ἐν τῇ πθ' ὀλυμπιάδι, quae Leo plane eiecit, Dindorfius et alii uncis secluserunt, expungam; nam etsi prisca ea non esse certum est, tamen nescio an iam Alexandrini grammatici annos olympiadum didascaliis ascripserint, quare non est quod talia delenda esse censeamus.

[2]) Si quidem fuit haec Amipsiae fabula. Vide ea, quae infra annotavimus pag. 56. Sed sive Amipsiae fuit seu Phrynichi comoedia: certe Aristophanes inferiori poetae posthabitus est, cum ne Phrynichus quidem Aristophani par esset.

cum Cleone pacem quamvis *ὕπουλον* fecisset, in Socratem verterat neque populo probaverat. Sed, ut dixi, non premo, quod Aristophanes Philonidi quoque semel cessisse dicitur, praesertim cum Athenienses in iudicando ut summa severitate ita insigni quadam levitate non numquam usi sint, quamobrem longe inferiores poetas, ut Bergkii verbis utar (ap. Mein. fr. II. pag. 905), saepissime summo honore dignos indicatos fuisse reperies. Atqui nusquam occurrit Proagonis comoediae Philonideae ullum vestigium, quamquam Suidas complures Philonidis fabulas nominavit aliique versus exscripserunt; saepissime vero leguntur versus Proagonis fabulae Aristophaneae, et scholiastes quoque ad Vesp. vs. 61 Proagonem Aristophanis comoediam fuisse testatur: *οὐ μόνον δὲ ἐν τούτῳ τῷ δράματι* (sc. *ἐν ταῖς Θεσμοφοριαζούσαις*) *εἰσῆκται οὕτως Εὐριπίδης, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ Προάγωνι καὶ ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν.* Quae cum ita sint, Philonides Proagonem videtur numquam scripsisse, illam potius esse fabulam Aristophanis veri simillimum est, quam coniecturam veram esse mihi persuasi.

Neque tamen quicquam effecimus, quo summa difficultas tollitur, quae latet in eo, quod unus Philonides duas fabulas suo nomine docuisse traditur. Num credamus archontem duos choros ei dedisse, cum alii poetae repulsam ferrent? At enim nullo modo id fieri potuit quinto quidem saeculo, quo more institutoque quasi lege sanctum erat, ne quis duas suo nomine comoedias daret. Quamquam quarto saeculo id licuisse cognoscimus ex monumento didascalico, in quo Diodorum quendam Diotimo archonte, qui fuit annus ol. 106, 3 vel 353 a. Ch. n., duas simul comoedias docuisse legimus (C. I. A. II. 2, nr. 972; cf. pag. 3, ubi hoc monumentum exscripsimus). Itaque aliae leges valuerunt saeculo quinto, aliae quarto, velut etiam quinque poetas quarto saeculo certasse, non tres, compertum habemus ex Arist. Plut. arg. IV et ex publicis monumentis. Neque igitur quinto saeculo Philonides utramque comoediam, Vespas et Proagonem, eisdem Lenaeis in scaenam induxit. Hic haeret aqua.

Quas angustias ut superarent, fuerunt, qui Vespas Dionysiis magnis tribuerent, velut Iulius Richter in editione Vesparum. Berol. 1858. Neque tamen hanc rationem laudare possum, cum didascalia, quamquam mendum aliquod certe

latet, non adeo corrupta sit, ut omnem fidem ei derogare et plane ad libidinem facere liceat. Richter autem duas didascalias hic consarcinatas esse opinatur, quas suo Marte audet sic restituere, ut Proagon Lenaeis, Vespae Dionysiis magnis actae esse videantur. Et „Proagonem, inquit, paullo ante Vespas doctam esse vel comici verba indicant, Vesp. vs. 60: cum spectatores rogat, ne nimis quid magni exspectent, modo ne sint ioci Megarici neve alii ab ipso iam prius producti:

οὔθ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος,
οὐδ' αὖθις ἀνασελγαινόμενος Εὐριπίδης·
οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν,
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.“

Aristophanem his versibus suas tantum fabulas respexisse, quod et Droysenus atque Wilamowitzius suspicati sunt, idoneis argumentis nec probari potest nec refelli; mihi quidem aliorum quoque comoedias intelligendas esse probabilius videtur; cf. Lübke, obss. crit. pag. 40, qui duo comoediarum genera distinguenda duxit. Sed utut res se habet, nihil consequens est, ut Proagon Vespis tempore antecesserit, cum versum 61 ad Acharnenses referre sufficiat. Neque scholiastes quicquam probare potest, qui temporum rationem habuerit prorsus nullam ad vs. 61: *κατ' αὐτοῦ γὰρ* (sc. *Εὐριπίδου*) *καθῆκε τὰς Θεσμοφοριαζούσας. φησὶν οὖν· οὐ δεύτερον ταυτολογήσω περὶ αὐτοῦ ὡς οἱ ἄλλοι. οὐ μόνον δὲ ἐν τούτῳ τῷ δράματι εἰσῆκται οὕτως Εὐριπίδης, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ Προάγωνι καὶ ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν.* Cleonis vero mentionem — ex Richteri sententia — Dionysiis fieri commodissimam, quae Lenaeis indutiarum tempore omnino non fuisset commoda: quod argumentum quam nihil valeat, nemo est quin intelligat. Ad finem autem subiecit vir doctus caussam, quam primo loco ponere debuit, cum haec sola suspicionem movere possit: „Postremo, inquit, haud parvi facienda sunt chori verba vs. 264:

δεῖται δὲ καὶ τῶν καρπίμων ἄττα μή 'στι πρῷα
ὕδωρ γενέσθαι κἀπιπνεῦσαι βόρειον αὐτοῖς:

quippe tempus vernum, i. e. Liberalium magnorum, liquide indicant, nec possunt tempore brumali, i. e. Lenaeorum, apte recitata esse.“

Profecto haec caussa vera esse primo obtutu videtur, nec tamen Richter versibus satisfecit, in quorum sententiam altius debuit penetrare. Nam sive Lenaeis pronuntiata sunt sive Dionysiis magnis, mira sunt verba vel maxime, cum nullo modo intelligi possit, si frugibus pluvia opus est, cur τὰ πρῷα ea carere possint. Etenim sic nominari nequeunt, si aliquid video, nisi secale et hordeum, quamquam de hordeo dubitare licet, quippe quod floreat in Attica sub finem mensis Martii; secale autem, cum iam initio eiusdem mensis floreat, certe est praematurum[1]). Sed etiamsi mense Martio haec frumenta iam florent, pluvia eis opus non esse potuitne affirmari Dionysiis magnis, quae hoc mense celebrabantur? Minime id fieri potuit, praesertim cum Maio denique mense messis fieret. Utrum poeta alios quoque fructus cogitavit, veluti vinum, oleas, poma, necne, nihil refert, cum his, qui auctumno demum legantur, utique pluvia opus sit. Itaque ad rem diiudicandam nihil possunt facere. Verba igitur, de quibus agimus, nec Lenaeis nec Dionysiis magnis videntur apta fuisse, si modo vera disputavimus. Accedit huc mirum illud βόρειον; nam etsi non offendo in hac forma, quae sane ὑποκοριστικῶς a poeta videtur posita esse pro βορρᾶς, tamen quid frigidus septemtrio frugibus prosit non intelligo, praesertim cum pluviam, qua praecipue opus est, hic ventus non soleat in Graeciam adducere. Quae si mecum reputo omnia, hi versus obscuri esse mihi videntur vel maxime atque continere nescio quid facetiarum et leporis, quod perspicere adhuc non contigit neque umquam fortasse continget, nisi forte misere verba depravata esse suspicari mavis.

Quae cum ita sint, ne hoc quidem loco uti licet, quo Vesparum tempus definire queamus. Lenaeis acta est haec comoedia et maxime idonea fuit, quae hoc festo daretur. Nam poetas comicos spectatores respexisse in eligendis festis mihi persuasum est, nec repugnant huic sententiae didascaliae, quas quidem noverimus; alia comoediarum argumenta,

[1]) Secutus sum rationes Augusti Mommsen: Die VI. mens. Feb. spicae virides secalis de folliculis exeunt, floret secale die VIII. mens. Mart., hordeum die XXIII. mens. Mart., triticum die XXVI. mens. Apr. Messis incipit tertio fere die mens. Mai.

si in universum iudicas, fuerunt Lenaeis, alia Dionysiis magnis, quibus multi socii et peregrini ludorum caussa Athenas conveniebant.

Sed reiecto Richteri conamine iam acrius instat quaestio, qui tandem verbis didascaliae medelam afferamus, cum Philonides unum tantum chorum impetrare potuerit. Quod si recte supra disputavimus de poeta et de vicario, facillimum hoc est negotium, cum ex eis, quae ibi exposuimus, consequens sit, ut ipse Aristophanes suo nomine Vespas in scaenam commiserit. Nam et tota parabasis et chori versus 1284 sqq. in enarrandis Aristophanis rebus versantur, quare chorum posci opus fuit ab ipso poeta, ut a praecone coram spectatoribus nominatim appellaretur. Si Philonides Vespas docuisset, parabasis intelligi in theatro prorsus non potuit; atque ridiculum fuisset, si Aristophanes de prioribus suis comoediis alieno nomine commissis exposuisset in fabula, quae ipsa alieno nomine in scaenam induceretur.

Hoc quondam et Rankius perspexerat, qui eadem de caussa Vesparum commissionem Aristophani restituerat nisus quoque lege, quam vocavimus, grammaticorum. Tum vero ap. Mein. pag. XXXIX sententia mutata didascaliam laudavit et utramque fabulam a Philonide doctam esse contendit. Lege illa grammaticorum, qua Rankium quondam confisum esse modo dixi, in eandem sententiam Petersenus adhibuit. Nam cum Aristophanes fabulas politicas Philonidi dedisse non perhibeatur, vir doctus Vespas, quippe cum sit comoedia politica, ab hoc abiudicavit. Neque vero in hac re ei assentiri possum, quia hanc legem, ut bis iam monui, Aristophanes sibi ipse certe non imposuit, sed grammatici in universum iudicantes haud dubie e fabulis collegerunt. Quare hac lege fides didascaliarum minime debet labefactari. At quoniam aliis caussis Vesparum commissionem Aristophani ipsi tribuere cogimur, Petersenus falsa via ad verum exitum pervenit. Itaque verba διὰ Φιλωνίδου, quae hodie in didascalia leguntur, uncis seclusit ut expungenda, qua in re cum eo consentio. Quomodo haec verba irrepserint, vix potest diiudicari; licet fortasse conicere Aristotelem in libro suo de actionibus scripto, postquam hanc didascaliam exhibuit, paucis dixisse Proagonem Aristophaneam fabulam

fuisse, sed *διὰ Φιλωνίδου* doctam esse, quae verba ab eo, qui Vespis didascaliam praescripsit, falso relata sunt ad hanc ipsam fabulam. Attamen alio quoque errore nescio quo haec confusio orta esse potest.

Duae igitur sunt caussae, quibus Vespas a Philonide abiudicantes nitimur, et fulciunt hae caussae inter se. Itaque Lenaeis anni 422 duae comoediae Aristophaneae actae sunt, quarum alteram poeta ipse, alteram Philonides dedit. Cur Aristophanes duas simul fabulas in certamen committendas curaverit, semper ignorabitur. Voluitne praecavere, ne iterum exploderetur, cum alteram fabulam secundum saltem locum obtinere necesse esset, etiamsi altera caderet? Instabatne fortasse Philonides, cum poeta suo nomine Vesparum chorum iam petivisset, ut Proagonis fabulam in scriniis latentem et Dionysiis destinatam sibi cederet, ut hac comoedia gloriam Nubium clade labefactatam renovaret? Merae hae sunt coniecturae, quibus rem diiudicare non audeo. Proagonem autem comoediam fuisse aptissimam Dionysiis magnis nemo negabit, cum haud dubie prolusionem Euripidei nescio cuius spectaculi pannosi Aristophanes hac comoedia salse et ingeniose convelleret. Quapropter hanc comoediam Dionysiis a poeta destinatam fuisse, tum vero subita de caussa nescio qua ipsam quoque Lenaeis actam esse veri dissimile non videtur [1]).

---

[1]) Postquam haec de Vespis et Proagone exposuimus, liceat nobis paucis disputare hoc inferiore loco de Bergkii quadam coniectura. Nam quod in Vesparum didascalia coniectura nos invenimus, unum poetam duas comoedias agendas curasse, id in Avium quoque didascalia Bergkius statuit. Coniecit enim (in Fritzschii Quaest. Arist. tom. I. p. 322 et in Rell. Com. Att. p. 368—370) Comissatores fabulam Phrynichi fuisse, quam Amipsias suo nomine docuisset, cum Phrynichus ipse Monotropum daret. Adductus autem est ad hanc suspicionem eisdem fere caussis, quibus in Vesparum didascalia nos usi sumus. Nusquam enim de Amipsiae Comissatoribus quicquam legitur, quod sane mirum est, cum primo pretio haec comoedia ornata sit. Contra Phrynichi fabula eodem nomine inscripta aliquotiens memoratur. Quae cum ita sint, Bergkius conclusit illam comoediam una cum Avibus et Monotropo in certamen commissam Phrynichi esse, non Amipsiae. Ingeniose hoc a viro docto excogitatum esse concedendum est, neque miror, quod Meinekius in Hist. crit. p. 155 hanc coniecturam comprobavit. Etenim mihi quoque

Postquam huc pervenimus, paene ad exitum adducta quaestio est. Nam quae restant de Callistrato et Philonide perpauca sunt eademque persimplicia, cum in dubium iam fere nihil possit vocari. Sed quoniam de actionibus hucusque deinceps egimus, nunc quoque memores propositi fabulas, quae reliquae sunt, singulas percenseamus, atque de uniuscuiusque commissione quae statui queant paucis exponamus.

Itaque primum accedimus ad Pacem, quae comoedia anno post Vesparum et Proagonis commissionem Alcaeo archonte docta est. Haec legitur didascalia: *Ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου, ἐν ἄστει. πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτορσι. τὸ δὲ δρᾶμα ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος, ηνικαερμηνλοιοκροτης* [1]). Planis igitur et apertis verbis scriptum videmus Aristophanem ipsum Pacem in scaenam induxisse et secundum hac comoedia locum obtinuisse. Atque vere hoc traditum esse ipsa fabula docet, in cuius

---

primo obtutu valde arrisit; sed cum accuratius rem mecum reputarem, tamen haesitabam. Nam quod cadit in Philonidem, idem non cadit in Amipsiam. Philonidem cum sciamus Aristophaneas fabulas suo nomine docuisse, ab hoc comoediam abiudicare, quae Aristophanea esse magis videtur, non est audaciae, quia eius nomen multis comoediis Aristophaneis in didascaliis ascriptum erat: Amipsiam cum Phrynichias fabulas docuisse minime compertum habeamus, eodem modo agere dubito an non liceat. Nam quod Bergkius fragmentum Phrynichi a Plutarcho in vit. Alcib. c. 20 servatum:

ὦ φίλταθ' Ἑρμῆ, καὶ φυλάττου, μὴ πεσὼν
σαυτὸν περικρούσῃς καὶ παράσχῃς διαβολὴν
ἑτέρῳ Διοκλείδῃ βουλομένῳ κακόν τι δρᾶν.
ΕΡΜ. φυλάξομαι. Τεύκρῳ γὰρ οὐχὶ βούλομαι
μήνυτρα δοῦναι τῷ παλαμναίῳ ξένῳ

(Kock. fr. 58) ad Phrynichi Comissatores referendum esse censet, nescio, cur haec verba, quae anno 414 in scaena pronuntiata esse negari non potest, e Monotropo, quod et Meinekius quondam coniecerat, aut ex alia Phrynichi fabula Lenaeis eiusdem anni docta exscripta esse nequeant. Itaque Bergkii suspicionem, quae per se non sit incredibilis, gravioribus argumentis magisque idoneis probari non posse certe dolendum est.

[1]) Litteras exhibui, non verba, cum didascaliae finis tam depravatus tamque mutilatus sit mea sententia, ut sensum ne divinare quidem possimus. Dindorfii coniectura '*ἡνίκα ἔτ' ἦν ὑποκριτής*' minime placet. In libris exaratum est hocce modo: *ἡνίκα ἑρμῆν λοιοκρότης.*

parabasi de se ipse coryphaeum fecerit poeta loquentem. Neque non hi versus ipsum indicant poetam, 765 sqq.:

πρὸς ταῦτα χρεὼν εἶναι μετ' ἐμοῦ
καὶ τοὺς ἄνδρας καὶ τοὺς παῖδας·
καὶ τοῖς φαλακροῖσι παραινοῦμεν
ξυσπουδάζειν περὶ τῆς νίκης.
πᾶς γάρ τις ἐρεῖ νικῶντος ἐμοῦ
κἀπὶ τραπέζῃ καὶ ξυμποσίοις·
φέρε τῷ φαλακρῷ, δὸς τῷ φαλακρῷ
τῶν τρωγαλίων, καὶ μὴ ἀφαίρει
γενναιοτάτου τῶν ποιητῶν
ἀνδρὸς τὸ μέτωπον ἔχοντος.

Nam calvus videtur Aristophanes vocitatus esse ab aemulis. Eupolis quidem hoc epitheto eum ornavit, cum diceret in Baptis (Kock. fr. 78):

κἀκείνους τοὺς Ἱππέας
ξυνεποίησα τῷ φαλακρῷ προῖκα (sic Kirchhoff., τούτῳ Hermann.) κἀδωρησάμην.

Atque nescio an Aristophanes intelligendus sit in altero quoque fragmento Eupolideo, quod exscriptum est ex Aurea Aetate, (Kock. fr. 276):

δωδέκατος ὁ τυφλός, τρίτος ὁ τὴν κάλην ἔχων,
ὁ στιγματίας τέταρτός ἐστιν ἐπὶ δέκα,
πέμπτος δ' ὁ πυρρός, ἕκτος ὁ διεστραμμένος·
χοὖτοι μέν εἰσ' ἑκκαίδεκ' εἰς Ἀρχέστρατον·
ἐς τὸν δὲ φαλακρὸν ἑπτακαίδεκ'. *B.* ἴσχε δή.
A. ὄγδοος ὁ τὸ τριβώνιον ἔχων.

Nam quamquam Kockius: „quorum hominum, inquit, index proponatur ignoramus; de comicis poetis certe non videtur cogitandum esse“, tamen dubito an Eupolis hoc loco poetarum comicorum, qui illam 'auream aetatem' ornarent, recensum egerit idque ita instituerit, ut parvulum corporis vitium aut notabile aliud aliquid magnopere exaggeraret. Quod si verum est, versum 5 ad Aristophanem spectare liquet. Caecus quidem remanet versus 4, cum Archestratus strabo aut varus sive valgus — nam talis est mea sententia ὁ διεστραμμένος, quod epitheton pertinet sine dubio ad Archestratum — in comicorum numero non occurrat. Neque tamen in hoc offendendum est, quod saepius accidisse supra diximus. Ceterum

tales consentaneum est a poeta inprimis enumeratos esse invidos et aemulos, quos licet appellare versibus Aristophaneis Ran. 92 sqq.:

ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἐστὶ καὶ στωμύλματα,
χελιδόνων μουσεῖα, λωβηταὶ τέχνης,
ἃ φροῦδα θᾶττον, ἢν μόνον χορὸν λάβῃ,
ἅπαξ προσουρήσαντα τῇ τρυγῳδίᾳ,

et quos posteri homines atque fortasse aequales non flocci fecerunt. Quod Aristophanes simul nominatus est inter haec bella poma, factum est, quia privatum cum hoc Eupolidi odium fuit. Eiusmodi convicia, quae haud dubie ab aliis quoque in Aristophanem iactabantur, in Nubium parabasi poeta videtur respexisse, vs. 540:

οὐδ' ἔσκωψε τοὺς φαλακρούς,

quae verba post Auream Aetatem certo, quin etiam post Baptas fortasse scripta sunt. Atque idem sibi arripuit in Pace se ipse calvum vocans per iocum, quem iocum amici fortasse in vino solebant proferre. Nam revera Aristophanem adulescentem calvitio fuisse praeditum non possum credere: frontem habuit altiorem, quam Eupolis comica usus exaggeratione calvitium vocabat. Hoc indicant ipsius Aristophanis verba l. l.:

γενναιοτάτου τῶν ποιητῶν
ἀνδρὸς τὸ μέτωπον ἔχοντος.

Atque hoc ut probarem, paullo longius abii: omnes enim et antiquorum[1]) et nostrorum temporum viri docti de Aristophane calvo fabulantur, re numquam adhuc in quaestionem vocata confisi temere ipsius poetae testimonio. Exstant praeterea duo loci, in quibus poetam calvitium suum lusisse putant, Equ. vs. 550 et Nub. vs. 545. Neque vero per se hi versus quicquam probare possunt. Iam redeamus ad propositum[2]).

---

[1]) Schol. ad Plat. Apol. pag. 19 C: Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδιοποιὸς φαλακρὸς ἦν, ὡς καὶ αὐτός φησιν Εἰρήνῃ. Schol. ad Ar. Pac. vs. 767.

[2]) Consulto silui de herma duplici, qui a Welckero ad Tusculum repertus Bonnae nunc collocatus est. Nam quamquam Menandro — si quidem est: nam mihi res non videtur tam certa esse quam aliis est, qui Menandrum certo agnosci dicunt: sed sumamus esse Menandrum — quamquam, inquam, Menandro Aristophanem adiunctum esse

Itaque Pacem ab ipso Aristophane datam esse constat. Sed alteram quoque fabulam eodem titulo inscriptam a poeta commissam esse legimus in arg. III: *Φέρεται ἐν ταῖς διδασκαλίαις δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμοίως ὁ Ἀριστοφάνης*[1]). *ἄδηλον οὖν, φησὶν Ἐρατοσθένης, πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν ἢ ἑτέραν καθῆκεν, ἥτις οὐ σώζεται. Κράτης μέντοι δύο οἶδε δράματα γράφων οὕτως· ἀλλ' οὖν γε ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν ἢ Βαβυλωνίοις ἢ ἐν τῇ ἑτέρᾳ Εἰρήνῃ. καὶ σποράδην δέ τινα ποιήματα παρατίθεται, ἅπερ ἐν τῇ νῦν φερομένῃ οὐκ ἔστιν.* Etiam alteram Pacem ab Aristophane ipso doctam esse in didascaliis Aristotelicis videtur exaratum fuisse. Neque vero exemplum huius comoediae in bibliotheca Alexandrina collocatum erat, Eratosthenes quidem nullum videtur invenisse, quamobrem alterius fabulae argumentum utrum idem fuisset an retractatum sive plane aliud dubitabat. Pergameni vero grammatici utriusque comoediae exemplar videntur possedisse, si modo Crateti fides haberi potest. Priorem fabulam eam fuisse, quae ad nos permansit, Eratostheni utique credendum est, quippe quem apud Aristotelem alterius Pacis didascaliam ad posteriorem annum positam invenisse verba eius demonstrent. Quem annum quod nescimus valde dolendum est.

Quae cum ita sint, coniecturae, quae complures sunt prolatae, probari nequeunt. Droysenus enim (in vers. praef. ad Pac.), quod servatae fabulae pars altera multo inferior esset quam prima, — quod negari non potest — retractationi id crimini dedit. Itaque posteriorem comoediam nos legere contendit, cum priorem Dionysiis magnis anni 422 actam

---

cum Welckero libenter consentio (Ann. Inst. arch. XXV. p 251 sqq.), tamen vultus poetae ex hac effigie non disci pro certo habeo. Aristophanis enim aetate effigies hominum Athenis fere nullae fingebantur; posteri vero artifices, ubi collocandi in bibliothecis scriptorum effigies mos percrebruit, eorum vultus, quorum verae imagines non exstabant, ad libidinem sibi ipsi excogitaverunt. Itaque Aristophanis quoque Menandro associati vultus haud dubie sculptoris alicuius ingenio debemus. Quae cum ita sint, hac effigie abuti ad sententiam meam probandam non ausus sum: nam sculptor calvum hominem non expressit, sed bene comatum.

[1]) Sic legitur in cod. R., neque quicquam mutandum aut adiciendum est, cum verba bene intelligantur: docuit Pacem pariter, h. e. nullo fabulae addito discriminis caussa cognomine.

esse suspicaretur. Haec autem viri docti opinio laudari non potest, cum Eratosthenis testimonio, h. e. didascaliis, aperte repugnet. Adde quod tres comoedias eodem fere tempore Aristophanem scripsisse et dedisse statuendum est: Vespas, Proagonem, Pacem. Fritzschii opinionem alteram Pacis editionem Agricolas esse iudicantis nihil moror. Neque Dindorfius videtur bene fecisse, cum grammaticis alterius Pacis versus afferentibus fidem derogaret.

Sic res se habuit mea sententia. Aristophanes Dionysiis magnis anni 421 Pacem dedit, quam hodie legimus. Posterius — de tempore non constat — hanc comoediam nescio qua de caussa iterare voluit. Quod cum fabulas nisi retractatas iterum committi vetitum esset[1]), comoediam recensuit atque denuo in scaenam induxit. Fabulam autem revera retractatam esse, non eandem aut prorsus aliam doctam esse, ex eo licet colligere, quod versus non nulli, qui ex altera editione afferuntur, ex parte congruunt cum versibus comoediae servatae, Kock. fr. 294:

Α. τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποισιν Εἰρήνης φίλης
πιστὴ τροφός, ταμία, συνεργός, ἐπίτροπος,
θυγάτηρ, ἀδελφή· πάντα ταῦτ' ἐχρῆτό μοι.
Β. σοὶ δ' ὄνομα δὴ τί ἐστιν; Α. ὅ τι; Γεωργία.
ΧΟΡ. ὦ ποθεινὴ τοῖς δικαίοις καὶ γεωργοῖς ἡμέρα,
ἄσμενός σ' ἰδὼν προσειπεῖν βούλομαι τὰς ἀμπέλους.

Versus quintus et sextus in servata fabula sunt chori 556. 557. Restitui eos choro etiam in fragmento, cum huius esse mihi persuasum sit.

Iam longum intercedit temporis spatium, cuius nullam fabulam iniqua fortuna ad nos servavit. Post totos denique septem annos comoediae nobis denuo exsistunt. Sunt hae quoque comoediae Aristophaneae, neque tamen ille est Aristophanes, qui Babylonios et Equites composuit. Argumenta sunt prioribus diversa, vis salis et facetiarum remittit, res politicae recedunt. Atque ne de se ipse quidem poeta fabulatur in parabasibus: id summum petit ab iudicibus, ut

---

[1]) Quod Ranarum fabula immutata iterata est haec una excepta est. Cf. quae pag. 63 sqq. disputavimus.

palmam sibi concedant, aut monet, ne suae comoediae, quod primum inducendi locum sortitus sit, obliviscantur.

Itaque Amphiaraus et Aves primae sunt fabulae, quae post Pacem nobis occurrunt. Avium haec est didascalia in arg. I: *Ἐδιδάχθη ἐπὶ Χαβρίου διὰ Καλλιστράτου ἐν ἄστει, ὃς ἦν δεύτερος τοῖς Ὄρνισι, πρῶτος Ἀμειψίας Κωμασταῖς, τρίτος Φρύνιχος Μονοτρόπῳ.* Atque in arg. II legimus: *Ἐπὶ Χαβρίου τὸ δρᾶμα καθῆκεν εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου· εἰς δὲ Λήναια τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξε διὰ Φιλωνίδου.* Quibus quod adiciamus nihil habemus. Videmus Callistratum et Philonidem pariter atque antea Aristophanis fabulas docere suo nomine, quod eadem omnium rerum qua prius conditione factum esse consentaneum est.

Proximam quoque fabulam, de cuius actione legimus, Lysistratam scilicet, Callistratus dedit anno 411. Tempore non multum absunt Thesmophoriazusae, quae comoedia quando et per quem commissa sit, cum didascalia prorsus interierit, non docemur. Etiam Lysistratae didascalia valde mutilata est: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος τοῦ μετὰ Κλεόκριτον ἄρξαντος. εἰσῆκται δὲ διὰ Καλλιστράτου.* Neque igitur quo festo haec comoedia acta sit, compertum habemus. Sed cum utraque fabula, Lysistrata et Thesmophoriazusae, ad optimates quoque spectet, qui vere anni 411 rei publicae statu everso clavum sibi ipsi arripuerunt, vel maxime interest, quando hae comoediae in scaenam inductae sint accurate scire. Quae cum ita sint, valde doleo, quod huius disputationis finibus coerceor atque impedior, quominus diligentius hanc quaestionem instituam: quod posterius aliquando facere mihi propositum est. Multae enim sunt de hac quaestione prolatae nugae et ineptiae, atque maxime inter ceteros floruit Iacpius quidam, qui incredibilia commisit in disputatione: Quo anno et quibus diebus festis Lysistrata atque Thesmophoriazusae doctae sint. Eutin. Progr. gymn. 1859. Certo enim iam Droysenus evicit Lysistratam actam esse Dionysiis magnis anni 411, Thesmophoriazusas Lenaeis 410. Quod cum vir doctus caussis satis multis gravibusque probaverit, aliae quoque neque parvae inveniuntur, quibus res etiam magis potest stabiliri. Sed haec hactenus: nam quaestio gravior est, quam ut paucis queat absolvi.

Thesmophoriazusarum fabulam per Philonidem datam esse fuerunt, qui ex lege illa grammaticorum conicerent. Tali coniectura aliquid profici non intelligo. Nam comoedias, in quibus Euripides sive magis sive minus exagitaretur, Aristophanem Philonidi tradidisse ad unam omnes ex illa lege efficere stulti est, neque vereor ne quisquam id faciat. Itaque fieri potuit, ut etiam Thesmophoriazusas Philonides doceret, opus non fuit: potuit Aristophanes ipse docere, potuit Callistrato dare: prorsus nihil constat.

Quod de comoedia biennio post Diocle archonte commissa certiores facti sumus, hoc debemus scholiastae ad Plut. vs. 173: *δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν δευτέρῳ φέρεσθαι, ὃς ἔσχατος ἐδιδάχθη ὑπ' αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον· εἰ μή, ὅπερ εἰκός, ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου τοῦτο μετενήνεκται.* Apparet ex his verbis duas Aristophanis comoedias doctas esse, quarum utraque Plutus erat inscripta; atque cum alteram anno 388 actam esse didascalia constet, altera sequitur ut commissa sit anno 408. Hoc utique statuendum est, quamquam scholiastes in manifestum errorem incidit, cum priorem esse editionem putaret, quae fuit altera. Hoc vero per se patet ex indole ac natura fabulae servatae, quam ille interpretatus est, atque probatur luculenter illo schol. ad vs. 173 et vs. 1146:

μὴ μνησικακήσῃς, εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες,

ubi hoc scholion legitur: *ἀλλὰ ταῦτά γε οὔπω ἐπέπρακτο, οὐδὲ τὰ ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἤδη ἦν· . . . τοῦτο οὖν ἔοικέ τις ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου μετενεγκὼν ἐνθάδε ὀλιγωρῆσαι τῆς ἀλογίας ταύτης, ἢ καὶ αὐτὸς ὁ ποιητὴς ὕστερον ἐνθεῖναι,* quod vel maxime arguit scholiastae errorem.

De Pluti prioris editionis argumento in tali, qualis est, reliquiarum exilitate nihil potest statui certi. Id quidem licet concludamus naturam utriusque fabulae diversam sane fuisse, quippe cum viginti annorum spatio altera ab altera abesset. Utrum priorem Plutum Aristophanes ipse docuerit an Callistrato sive Philonidi tradiderit erui non potest, cum de hac re grammatici nihil annotaverint.

Pergentibus nobis postremum obviam fit Philonides, quem Lenaeis anni 405 Ranas docuisse in didascalia legimus: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Ἀντιγένη διὰ Φιλωνίδου εἰς*

Λήναια. πρῶτος ἦν· Φρύνιχος δεύτερος Μούσαις, Πλάτων τρίτος Κλεοφῶντι. Atque statim pergit grammaticus — quem Aristophanem Byzantium fuisse nunc probare longum est — coll. arg. III: *οὕτω δὲ ἐθαυμάσθη τὸ δρᾶμα διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παράβασιν, καθ' ἣν διαλλάττει τοὺς ἐντίμους τοῖς ἀτίμοις καὶ τοὺς πολίτας τοῖς φυγάσιν, ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη, ὥς φησι Δικαίαρχος.* Fides his verbis utique habenda est, cum Dicaearchus testis sit haud spernendus. Memoravit autem Ranarum iterationem haud dubie in libro suo, quem *περὶ μουσικῶν* sive *Διονυσιακῶν ἀγώνων* scripsit[1]). Atque in hoc libro componendo eum secutum esse Aristotelis, magistri sui, didascalica manifestum est; redit igitur illud testimonium ad optimum auctorem.

Iam vero complures exsistunt quaestiones, cum neque quando neque per quem comoedia iterum in scaenam inducta sit legamus. Philonidem etiam hanc comoediam primum docuisse, quasi suam ipsius daret, atque spectatores de Aristophane auctore nihil audivisse persuasum mihi est: in hac sententia persto semperque perstabo. Id unum concedo tunc temporis, cum tam saepe Philonides Aristophaneas fabulas doceret, plerosque ex indole comoediae statim de Aristophane cogitasse eumque verum auctorem duxisse. Atque etiam probabile esse hoc videtur, cum Ranis Athenienses tanto opere tamque clare plausissent, nomen Aristophanis statim post actionem in vulgus manasse, priusquam editio publicata esset. Egregie vero Athenienses hac comoedia delectatos esse, id ipsum argumento est, quod consuetudine seu potius lege illa, qua easdem fabulas denuo agere vetitum erat, omissa hanc iterari etiam iusserunt. Nam sic rem se habuisse Dicaearchi verba indicant. Quaeritur, quando comoedia iterata sit. Viri docti fere omnes proximis Dionysiis id factum esse censent; atque probabilis sane est haec

[1]) Legimus libri titulum *περὶ μουσικῶν ἀγώνων* apud Suidam s. v. *σκόλιον* et in schol. Plat. Gorg. p. 451 E, praeterea in ed. Aldina ad Ar. Vesp. vs. 1238 et ad Ran. vs. 1302, quo Suidae verba Musurus videtur transposuisse; titulus *περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων* exstat in schol. ad Ar. Av. vs. 1403. Videtur uterque idem esse, neque vero, ut opinor, peculiaris liber fuit, sed pars magni operis Dicaearchi, quod inscriptum erat *Βίος Ἑλλάδος*.

sententia, cum post pugnam ad Aegos Flumen commissam tantus Atheniensium ardor vix esset, ut fabulam reposcerent. Nam comoediam eisdem Lenaeis iteratam esse, quod quis fortasse suspicari potest, vix est credibile; quare Dionysiis magnis id factum esse pro certo habeo.

At in altera quaestione diiudicanda iuvat nos aliquantum Vitae scriptor. Sciscitamur enim, utrum iterum quoque Philonides chorum induxerit an Aristophanes. Atque ego quidem, cum docere iam nihil opus esset, Aristophanem cogito, quem scripsisse hanc bellam comoediam interim cives audiverant, et in hac re, ut dixi, adiuvamur Vitae his verbis: . . . *ἐστεφανώθη* (sc. *Ἀριστοφάνης*) *θαλλῷ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας, ὃς νενόμισται ἰσότιμος χρυσῷ στεφάνῳ, εἰπὼν ἐκεῖνα τὰ ἐν τοῖς Βατράχοις περὶ τῶν ἀτίμων·*

τὸν ἱερὸν χορὸν δίκαιον πολλὰ χρηστὰ τῇ πόλει
ξυμπαραινεῖν.

Huic testimonio quod fidem non habeamus nihil est, quare iterum ab Aristophane ipso chorum inductum esse his verbis probari videtur: nam coram spectatoribus omnibus in scaena poetam patriae amantissimum sacrae oleae corona ornatum esse consentaneum est.

Restat, ut de paucis actionibus quam brevissime agamus. Nulla enim Ecclesiazusarum didascalia de huius comoediae commissione docemur. Atque si scholiastae ad vs. 193 fidem habemus: *περὶ δὲ τοῦ συμμαχικοῦ Φιλόχορος ἱστορεῖ, ὅτι πρὸ δύο ἐτῶν ἐγένετο συμμαχία Λακεδαιμονίων* (lege *Ἀθηναίων*) *καὶ Βοιωτῶν,* docta est fabula anno 392, quod primus statuit Samuelus Petitus atque Droyseno aliisque persuasit. Alii alium annum rectius eruisse sibi videntur confisi caussis, quas plures ex ipsa comoedia petiverunt, veluti Götz in Act. soc. phil. Lips. II. a. 1874 annum 389 statuit, quam veram esse suspicionem eo magis putavit, quod utroque anno, et 392 et 389, Demostratus fuit archonti nomen; Iulio Beloch (Att. Pol. seit Perikles. Lips. 1884. pag. 357) probabilior visus est annus 390, at ne Götzianae quidem sententiae probabilitatem derogavit. Iam ex his, quae diximus, cognoscitur, quam sit quaestio implicata et difficilis, quapropter hoc loco eam diiudicare non audeo. Quis fabulam in certamen commiserit, in dubio relinquendum est.

Iam Ecclesiazusae in novam cadunt tempestatem non Aristophanis solum aetatis, verum etiam totius comoediae: nascitur sensim et paullatim media, quae vocatur, comoedia. Atque agnoscitur hoc novum genus etiam magis in altero Pluto, quam fabulam ultimam Aristophanes ipse in scaenam induxit. Quantam omnium rerum commutationem, quantas fortunae vicissitudines, quantam tempestatum conversionem poeta viderat ut in re publica ita in scaena, quae una cum re publica aucta et collapsa erat et quasi imaginem eius ad summam veritatem expresserat.

Quod in Vita legimus: *ἐν τούτῳ δὲ τῷ δράματι* (sc. *Πλούτῳ*) *συνέστησε τῷ πλήθει τὸν υἱὸν Ἀραρότα· καὶ οὕτω μετήλλαξε τὸν βίον παῖδας καταλιπὼν τρεῖς, Φίλιππον ὁμώνυμον τῷ πάππῳ καὶ Νικόστρατον καὶ Ἀραρότα, δι᾽ οὗ καὶ ἐδίδαξε τὸν Πλοῦτον*, hic error manifestus est, cum in didascalia expressis verbis scriptum videamus Aristophanem suo ipsius nomine hanc fabulam docuisse. Alias potius duas fabulas, Cocalum et Aeolosicona, filio dedit docendas, ut populo eum commendaret; cf. Plut. arg. IV: *τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα* (lege potius hoc ordine: *Ἀραρότα συστῆσαι*) [*δι᾽ αὐτῆς*] *τοῖς θεαταῖς βουλόμενος, τὰ ὑπόλοιπα δύο δι᾽ ἐκείνου καθῆκε, Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα*. Verba *δι᾽ αὐτῆς* cum et antecedentibus et insequentibus pariter repugnent, simili errore orta videntur ac illa, quae in Vita exstant, quare uncis ea seclusimus ut expungenda.

Iam fabularum enumerationem concludimus, cum de reliquarum commissionibus nihil notum sit atque ne erui quidem possit quicquam certi. Nam ex deperditarum comoediarum naufragiis colligere velle fabulae argumentum, poetae consilium, actionis tempus difficile est atque periculosae plenum opus aleae. Ad arbitrium plerumque viri docti in hac re fecerunt, quamquam docte agere sibi ipsi visi sunt. Id iam ex eo licet intelligere, quod diversissimae haud raro sententiae de eadem fabula propositae sunt, consensus fere numquam cernitur: aliud statuit Bergk, aliud Müller Strübingensis, aliud Zielinski [1]),

[1]) Huius libellus 'Die Märchenkomödie in Athen' (St. Petersburg 1885) multum habet iucunditatis; et valde laudandus esset vir doctus, nisi commisisset, quod omnes fere qui novi granulum inveniunt, cum omnia atque quaedam alia in suam converteret sententiam.

aliud alii. Itaque de eis fabulis perditis, de quarum actionibus nihil proditum est, tacere satius duxi, praesertim cum de Callistrato aut Philonide nihil audiamus.

Noli sodes me vituperare, quod complures quaestiunculas, in extrema potissimum opusculi parte, adiecerim, etsi laxo tantum vinculo cum quaestione veluti principali, quae est de Callistrato et Philonide, cohaerent. Nam quoniam Callistratus et Philonides in plerisque fabulis nominandi erant, disputationis iustum tenorem, qui convenerat, interrumpere nolui et de unaquaque actione paucis disserui; atque hic et illic non nulla probasse et illustrasse mihi videor, quamvis breviter res tetigerim. Hanc vero brevitatem velim mihi non exprobres in aliam partem: nam accuratius haec omnia pertractare longum fuit. Multa, quae leviter tantum in transitu memorare potui, posterius aliquando, si dis placebit, accuratius tractare et illustrare conabor.

Conspectus.

Titulus.	Acta est fabula		Docuit	Diss. pag.
Daetalenses.	ol. 88, 1. 427.	?	Callistratus.	19.
Babylonii.	ol. 88, 2. 426.	Dionysiis magnis.	Callistratus.	21.
Acharnenses.	ol. 88, 3. 425.	Lenaeis.	Callistratus.	21.
Equites.	ol. 88, 4. 424.	Lenaeis.	Aristophanes.	46.
Nubes.	ol. 89, 1. 423.	Dionysiis magnis.	Philonides.	48.

Titulus.	Acta est fabula		Docuit	Diss. pag.
Proagon.	ol. 89, 2. 422.	Lenaeis.	Philonides.	49.
Vespae.	ol. 89, 2. 422.	Lenaeis.	Aristophanes.	49.
Pax I.	ol. 89, 3. 421.	Dionysiis magnis.	Aristophanes.	57.
Pax II.	Post ol. 89, 3.	?	Aristophanes?	60.
Amphiaraus.	ol. 91, 2. 414.	Lenaeis.	Philonides.	61.
Aves.	ol. 91, 2. 414.	Dionysiis magnis.	Callistratus.	61.
Lysistrata.	ol. 92, 1. 411.	Dionysiis magnis.	Callistratus.	62.
Thesmophoriazusae.	ol. 92, 2. 410.	Lenaeis.	?	62.
Plutus I.	ol. 92, 4. 408.	?	?	63.
Ranae.	ol. 93, 3. 405.	I: Lenaeis. II: Dion. m.	I: Philonides. II: Aristophanes.	63.
Ecclesiazusae.	ca. ol. 96 - 97.	?	?	65.
Plutus II.	ol. 97, 4. 388.	?	Aristophanes.	66.
Cocalus.	ca. ol. 98.	?	Araros.	66.
Aeolosicon.	ca. ol. 98.	?	Araros.	66.

Theses.

1. In Aristophanis Acharn. vs. 78 codium scriptura retinenda est:

    οἱ βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἡγοῦνται μόνους
    τοὺς πλεῖστα δυναμένους καταφαγεῖν τε καὶ πιεῖν.

    De metro cf. Equ. vs. 676.

2. Ar. Equ. vs. 114 vere Aristophaneus est:

    φέρε νυν ἐγὼ ἐμαυτῷ προσαγάγω τὸν χόα,
    τὸν νοῦν ἵν' ἄρδω καὶ λέγω τι δεξιόν.

3. In Ar. Equ. parab. commatio (vs. 498—506) neque mutandum quicquam neque expungendum est.

4. Amphiteum illum, quem induxit Aristophanes in Acharnensibus, Hermogenem, Calliae fratrem, esse Müller Strübingensis non probavit. Fuit haud dubie civis Atheniensis, cui parentes nescio qua de caussa mirum illud nomen dederunt.

5. In comicorum versibus saepius tribrachyn sequitur anapaestus; tales versus non licet mutare aut delere. Exempla sunt apud Aristophanem: Ach. 47. 928. Nub. 663. Av. 108. Eccl. 315.

6. Zonar. 1366 (Kock. fr. I. p. 129, 456): *οἱ Ἀττικοὶ μόλυβδον καὶ μολύβδινον . . . Φορμίων. τρεῖς ἔφη στήσειν τρίποδας, ἔπειτα ἔθηκεν ἕνα μολύβδινον.* Comici ignoti est fragmentum, quod sic restituo:

    ὁ Φορμίων χρυσοῦς γε τρεῖς στήσειν ἔφη
    τρίποδας, ἔπειτ' ἔθηκεν ἕνα μολύβδινον.

7. Herodoti lib. I cap. 148 extrema verba genuina sunt.

8. Sophoclis Antig. vs. 904 sqq. a poeta ipso, Herodoti amico, scripti sunt.

9. Apud omnes Graecos ν finale in usu fuisse inscriptionibus probatur; itaque apud Ionicos quoque scriptores utique ponendum est. Atque omnino in restituenda dialecto Ionica grammaticorum et librorum fides testimonio inscriptionum posthabenda est.

10. Apud Atticos scriptores omnes pro Graeco σσ Atticum ττ scribendum est neque tragicis exceptis neque Thucydide.

Vita.

Albertus Briel d. 28 mens. Aug. a. h. s. 63 patre Carolo matre Elvina e gente Thater Berolini natus fideique evangelicae ascriptus sum. Auctumno a. 70 in gymnasium Fridericianum Berolinense receptus sum; annos nato tredecim pater mihi praematura morte ereptus est.

Vere a. 82 cum testimonium maturitatis accepissem, d. 17 mens. April. ab Ernesto Curtius v. ill. rectore magnifico numero civium Universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis ascriptus sum. Octies deinde sex menses studiis philologicis operam dedi, scilicet inde a vere a. 82 usque ad auctumnum a. 86 intermissa aestate a. 85, quam valetudinis caussa ruri degi. Docuerunt autem me hi viri doctissimi: Curtius, Diels, Dilthey, H. Droysen, Hirschfeld, Hübner, A. Kirchhoff, Paulsen, Robert, Scherer, Schmidt, de Treitschke, Vahlen, Wattenbach, Zeller. Ad exercitationes philologicas Hübner, ad epigraphicas Kirchhoff, ad historicas H. Droysen, ad archaeologicas Robert, ad germanicas Scherer benigne aditum mihi permiserunt. Denique Seminarii Regii philologici sodalis fui designatus per sex, ordinarius per bis sex menses; societatique academicae philologicae Berolinensi inde a vere a. 83 interfui.

Quantum autem debeam viris illis omnibus, quos enumeravi, inprimis A. Kirchhoffio, cuius saepe adiutus sum benigno consilio, Vahleno, Hübnero, hoc loco ut vellem profiteri non possum. Gratias ago omnibus candidissimas semperque habebo.
